



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Variis Generibus, Causis, Atque Exitu Persequutionum,  
Quas pij hoc in mundo peregrinantes patiuntur**

**Lens, Jean de**

**Lovanii, 1578**


**urn:nbn:de:hbz:466:1-30324**




Th. 2865.

J. VI

33.





*Ex donatione L. D. Sebastiani Seffeltan*  
**DE VARIIS**  
**GENERIBVS,**  
CAVSIS, ATQVE EXITV  
PERSECVTIONVM, QVAS  
pij hoc in mundo peregrinantes  
patiuntur.

**LIBER VNVS.**  
*Collegij Societatis Jesu Paderbornae. 1598.*  
*Authore Ioanne Lensao Belliolano S. Theologiae in Academia Louaniensi ordinario Professore.*

**CVM DVPLICI INDICE.**



**LOVANI,**  
Apud Andræam Sassenum Bibliop. Iurat.  
Anno M. D. LXXVIII.

**CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.**

*1. Theſſal. 3.*  
Nemo moueatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſciſtis  
quòd in hoc poſiti ſumus.

*1. Petri 4.*  
Chariffimi nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem  
fit vobis, quaſi nouum aliquid vobis contingat.

*2. Timoth. 3.*  
Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſequutio-  
nem patientur.

*D. Baſilius epiſt. 71.*  
Memores eſtote veterum ſanctorum, quàm nemo ſit illo-  
rum delitijs & aſſentationibus, patientiæ coronis dignus  
effectus: ſed omnes per magnas tribulationes ingreſſi, ex-  
perimentum ſui dederunt.

#### SVMMA PRIVILEGII.

**C**AVTVM EST Regio priuilegio, ne quis citra con-  
ſenſum Andræ Saffeni Bibliopolæ iurati, hoc pro-  
ximo ſexennio imprimat, vel alibi impreſſum impor-  
tet vel diſtrahat hunc librum intitulum, *De varijs generi-  
bus, cauſis, atque exitu perſequentionum, quas pij hoc in mundo  
peregrinantes patiuntur, Authore Ioanne Lenſæo Belliolano S.  
Theologiæ in Academia Louanieniſi ordinario Profeſſore.* Sub  
grauibus pœnis in diplomate Regio contentis.

Dato Louanij, Anno 1578. Auguſti 2.

*Subſignato*

Berwouts.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

IOANNES LEN-

SAEVS BELLIOLANVS,

CHRISTIANO LECTORI,

S. D.



INIME mirum est  
Christiane Lector,  
hoc tam furioso se-  
culo aut perturbari  
sic multos, vt quam  
se in partem vertere

velint, propemodum ignorent; aut suis  
in erroribus plurimos detineri: cum  
neque desint grauissima saepe scandala  
ex parte catholicorum, & eum in mo-  
dum creuerint hereticae atque schisma-  
ticae factiones, vt prouincijs, vrbibusq;  
completis, sua tum multitudine, tum  
munitionibus, praesidijsque secularibus  
facile permoueant imperitos. Quod eò  
fit magis, quia plerique praeteritarum  
aetatum ignari, praesentium duntaxat  
rerum statum contemplantur. In quo  
quidem statu contueri licebit plurima,

\* 2      quae

quæ parti meliori studeant adhærere.  
 Namque (vt cætera taceam) incrementa  
 hæreticorum magna sunt, sed nun-  
 quid in eadem religione & fide? Nonne  
 & à magistris discipuli, & hi inter se mis-  
 ra sententiarum varietate distrahuntur?  
 Et scandalis non caret ecclesia ca-  
 tholica, sed multis etiam abundat opti-  
 mis hominibus, quorum erigi & cons-  
 firmari possimus exemplis, si ruïnã  
 afferunt quorundam facta perditorum.  
 Neque sic nobis ecclesiam sacræ literæ  
 descriperunt, vt solos in ea bonos vi-  
 dere debeamus. Denique mouerët for-  
 tasse meritò nequi quidam catholicæ rei-  
 publicæ, si nō aduersarum partium des-  
 teriora noscerentur. Vbi tamen & hoc  
 est discriminis, quòd si qua sint quæ à  
 catholicis prauè fiūt, ex ipsius catholicæ  
 doctrinæ censura damnentur. Quàm  
 multa autem sunt, quæ ab aduersarijs  
 contra euāgelium aguntur, & euanges-  
 lij tamen prætextu defenduntur. Hæc  
 igitur

## AD LECTOREM.

igitur aliâque permulta, in præsentibus  
 rum statu licebit obseruare, quæ non  
 parum valeant ad animos hominum à  
 mortiferis ætatis huius erroribus cohi-  
 bēdos. Iam si & præterita tempora non  
 ignorata habeantur, plurimum ad ean-  
 dem rem accesserit adiumenti. Videre  
 in ijs erit, vti & modò, vnam ecclesiæ  
 columbam, inter coruos & accipitres,  
 pijs semper operibus occupatam. Cos-  
 gnoscentur innumerarum propè sectarum  
 initia, progressusque mirabiles, &  
 scelerati aduersus hanc ipsam, in qua  
 modò sumus ecclesiam, conatus, exitus-  
 que funesti. Et quoniã reuera perutile  
 est cum nouis vetera, & cum præteritis  
 præsentia comparare; aliquantulum in  
 eo studij ponendum esse putavi, vt va-  
 rias præteritarum ætatum persecutio-  
 nes cum nostris cõiungerem. Primum  
 ne pij tãquam re noua & inusitata tur-  
 bentur, vbi hæc euenire senserint; sed  
 hoc ipsum potius solatio sit, quòd per-  
 \* 3 ferendæ

ferēdæ sibi persequutionis causam cum  
 tot piorum myriadibus, intelligant esse  
 communem. Idcirco enim piorum ad-  
 iutor & consolator Christus Dominus,  
 cum aduersus impendentes persequu-  
 tiones suos discipulos præmuniret: *Beas-  
 ti estis, inquit, cum maledixerint vobis  
 homines & persequuti vos fuerint, &  
 dixerint omne malum aduersum vos,  
 mentientes propter me: gaudete & ex-  
 ultate, quoniam merces vestra copiosa  
 est in cælis. Continuòq; subiunxit: Sic  
 enim persequuti sunt prophetas qui  
 fuerunt ante vos. Beatus quoque gen-  
 tium Apostolus inter cætera quæ Ti-  
 motheo contemplanda, memoriæque  
 mandanda proponit, suas etiam nume-  
 rauit persequutiones: Tu, inquit, asse-  
 quutus es meam doctrinam, institutio-  
 nem, propositum, fidem, longanimita-  
 tem, dilectionem, paciētiam, persequu-  
 tiones, passiones, qualia mihi facta sunt  
 Antiochiæ, Iconij, Listris, quales perse-  
 quutio*

2. *Timot.* 3.  
 2. 11

## AD LECTOREM.

quationes sustinui; & ex omnibus eripuit me dominus: & omnes qui piè volunt in Christo viuere, persecutionem patientur. Deinde vt eorum agnoscant perpetua serie ad nos vsque procurrentem societatem sanctorum, quos & diabolus per varios ministros suos, omni ætate impetere, & dominus probare atque exercere varia & multiplici afflictione consuevit. Quæ profecto societas reperitur esse non nisi catholicorum, quibuscum eadem modò nobis ecclesia est, eadem fides, vnàque religio. In qua societate rectores ecclesiarum episcopi, sacerdotes, leuitæ, monachi, & virgines, vt plærunque fidei & humilitatis merito excellerent; ita ad martyriorum fortiter obeûdos agones, virtutis exemplo cæteris prælucebant. Postremò vt temporum superiorum doctrina, confessionibus, & patientiæ virtutumque exemplis piè confirmati, neq; ab ea fide resiliant quam per varios omni ætate

\* 4      hostes

PRAEFATIO

hostes oppugnatam intelligant, nec tamen extinctam; & tribulationes generose perferant, per quas Dominus iam inde à principio, cultores suos clariores effectos perduxerit ad regna caelorum. Quoniam igitur propter utilitates eiusmodi, operæpretium existimaui, varias diuersorum temporum atq; hominum persecutiones, earumque causas atq; origines cognoscere; mihi quidem ego in primis, tum si non magnopere egebunt doctiores, simplicioribus alijs librum comparandum existimaui, ex quo solatiū aliquod rebus nostris afflictissimis superpeteret. Adiunximus quotidianas persecutiones, & externas ab improborum moribus, & intestinas ac domesticas à proprijs affectionibus; ut intelligant pię mentes quamobrem ijs sit (nemine quoque alio saeuente) hac in vita gemendum atque vigilandum. Nam

*Epistola 92. secundum Apostolicam prædicationem ad Rusticum Narbonensem episcopum.* (inquit Leo) omnis qui voluerit pię viuere

viuere in Christo Iesu, persequutionem  
 patietur. Quæ non in eo tantum com-  
 putanda est, quòd contra Christianam  
 pietatem, aut ferro, aut ignibus agitur,  
 aut quibuscunque supplicijs; cum per-  
 sequutionum sæuitiam suppleat & dis-  
 similitudines morum, & cõtumaciæ in-  
 obedientium, & malignarum tela lin-  
 guarum. Quibus cõflictationibus cum  
 omnia semper ecclesiæ membra pul-  
 sentur, fit vt nulla piorum portio hic à  
 tètatione sit libera, & periculis nec otia  
 careant, nec labores. Hinc illa pijsimi  
 Prophetæ querimonia: Iniusti perse- *Psal. 118.*  
 quuti sunt me, adiuua me. Non petit vt  
 persequutiones conquiescât, sed in per-  
 secutionibus se postulat adiuuari. Scie-  
 bat enim (inquit Ambros.) quòd om- *Serm. 11. 20. in Psal. 118.*  
 nes ij qui piè volunt in Christo viuere,  
 persequutiones patiuntur. Mauult ergo  
 persequutiones pati, vt piè viuere in  
 Christo possit. Et benè non vnã per-  
 sequutionẽ, sed multas persequutiones

\* 5 dixit,

## P R A E F A T I O

dixit, nec expressit vocabula persequen-  
tium; quia multi persequutores, non so-  
lum quos videmus, sed etiam quos non  
videmus. Huic autem operi historias  
ad institutum pertinentes, quas paucis  
verbis perstringere potueram, pluribus  
explicatas inserui: ut ijs satisfacere-  
rem, quibus integrum non est tam va-  
rios libros euoluere, quos etiam si quis  
omnes (qui plurimi sunt) domi habeat,  
tamen & ex ijs excerpere, & saepe multa  
propter pauca legere, sentiet esse per-  
molestum. Iam & ea quae dissonare vi-  
debantur, conferre (fuit enim perfacile,  
ut in quibusdam circumstantiis histo-  
riarum authores discreparent) & quod  
verissimum videatur eligere; atque om-  
nia quae reperta sint, per varios diffusa  
libros, rite contexta verbis idoneis, idque  
pro instituto breuiter explicare, nemo  
parui putet esse negotij; nisi is forte  
qui nihil vnquam aggressus, iudicandis  
suauiter vacet alienis. Accedebat autem  
quo

AD LECTOREM.

quo magis id facerem, quòd viderem non minimã ecclesiasticã historiã partem esse eam quẽ sanctorum persecu-  
 tiones, quas non fecerunt ipsi, sed per-  
 pessi sunt, cõplectitur. Cuius ignarum  
 esse Theologum, est omnino eum non  
 satis eruditum esse, & est hoc quoq; non  
 mediocriter indecorũ. Huius proinde  
 cognoscendã studium sic ego cum alijs  
 Theologiã partibus coniunxi, vt in eo  
 quidem præcipuam operam non collo-  
 carem; sed aliquando tamen, cum me  
 id alia studia facere sinebant, assume-  
 rem. Vnde si quid fructus ad alios quo-  
 que deriuabitur, aut si etiam melius ali-  
 quid perfectiũsq; faciendi offeretur oc-  
 casio, erit quamobrem gratiã agantur  
 Deo, à quo hæc potissimum studia pro-  
 fluxerunt. Denique si & Tertullianus  
 & Lactantius (D. Hieronymo teste) li-  
 bros de persecutione scripserunt, atq;  
 idẽ asserat plurimos ferri libros Atha-  
 nasi de persecutionibus Arrianorũ,  
 sed

*In catalogo  
 scriptorum  
 ecclesiasti-  
 corum.*

PRAEFATIO AD LECTOREM.

sed & Dionysium Alexandrinum de  
persequutione Decij, & Bardesanem  
multa de persequutione scripsisse teste-  
tur; nemo mihi (opinor) vitio vertere  
potest, quòd omnium temporum ab ip-  
sis potissimum ecclesiae nascentis exor-  
dijs, persequutiones præcipuas, earum-  
que & causas, & exitus vno hoc libro  
complecti studuerim. In quo etsi non  
omnibus satisfacio (quoniam ne pro-  
positum id quidem esse mihi debuit) si  
tamen vel aliquibus profuero, multum  
me esse consequutum arbitror. Hac  
igitur nostra Christiane lector, qualia-  
cunque sunt, candida mente perlegito;  
& si minus quod volebamus fue-  
rimus assequuti, pio tamen  
tu conatui & labori fas-  
ueto. Vale.

# HVIVS OPERIS

## CAPIT A.

- I**AM inde ab initio sanctos persecutionem  
pari solitos. Cap. 1. Fol. 1.  
Qui fiat, ut semper mali persequatur bonos. Cap. 2. Fol. 1.  
De persecutionum varietate. Cap. 3. Fol. 4.  
Qua gravibus persecutionibus, quibusq; de cau-  
sis Iudaei Christi Apostolos afflixerint. Cap. 4. Fol. 5.  
Quam posterioribus quoq; temporibus Iudaei fue-  
rint Christianis infesti. Cap. 5. Fol. 6.  
Iudaos suae in Christum eiusque discipulos saevitia  
nullam afferre posse excusationem. Cap. 6. Fol. 9.  
Qua crudeliter in Dei & Christi cultores per Ro-  
manos imperatores gentilitas saevierit. Cap. 7. Fol. 11.  
Quae per irruptiones Barbaricas piorum fuerint  
persecutiones. Cap. 8. Fol. 16.  
Quae persecutiones apud Persas extiterint. Cap. 9. Fol. 20.  
Quas persecutiones apud Gortos aliosque popu-  
los nonnullos Christiani perpepsi sunt. Cap. 10. Fol. 22.  
De numero persecutionum Gentilium. Cap. 11. Fol. 23.  
Gentilitatem varijs distractam deorum cultibus  
vitijque dissipatam, in hoc tamen conuenisse,  
ut unius Dei cultores persequeretur. Cap. 12. Fol. 24.  
Quae causa gentilitatem ad persequendos crucian-  
dosque Dei cultores impulerint. Cap. 13. Fol. 26.  
Omnino inexcusabilem fuisse Gentilium in Chri-  
stianos saevitiam. Cap. 14. Fol. 28.  
Quanta

INDEX CAPITVM.

- Quanta in persecutionibus Christianorum fortitudo enituerit. Cap. 15. Fol. 31.
- Quòd martyrum victorijs magna Christi ecclesia, claraque toto orbe terrarum effecta sit. Cap. 16. Fol. 34.
- Quo astu diabolus hereticam persecutionem excitarit. Cap. 17. Fol. 35.
- Quàm grauis & periculosa sit hereticorum & pseudochristianorū persecutio. Cap. 18. Fol. 36.
- Quibus artibus quaque ratione circumueniant incautos heretici. Cap. 19. Fol. 38.
- Ad erroris persuasionem signa quoque mendacia interdū à pseudoprophetis adhiberi. Ca. 20. Fo. 42.
- Familiares id quoque solere esse hereticis, ut mendaciorum fraudibus utantur. Cap. 21. Fol. 46.
- Hereticos & irrequietos & contentiosos esse solere. Cap. 22. Fol. 47.
- Querimonia D. Hilarij de sui temporis periculosissima persecutione. Cap. 23. Fol. 48.
- Hoc persecutionis genus ab ipsis Apostolorum coepisse temporibus. Cap. 24. Fol. 49.
- Propinquante mundi fine, hereticorum & schismaticorum atque apostatarum persecutiones crebrescere. Cap. 25. Fol. 51.
- Querimonia fidei catholice ob persecutionum frequentiam. Cap. 26. Fol. 55.
- Nō esse verendū ne persecutionibus plurimis fracta omnino succubat ecclesia. Cap. 27. Fol. 55.
- Hare-

INDEX CAPITVM.

- Hæreticæ persecutionis quæ sit occasio & origo.* Cap. 28. Fol. 57.
- Varijs hæreticorum exemplis doctrina superioris capituli illustratur.* Cap. 29. Fol. 59.
- Cur adeò multi reperti sunt qui ad scindendam & persequendam ecclesiam erroris magistros sequerentur.* Cap. 30. Fol. 64.
- Hæreticos nõ modò in animas, verũetiã in corpora cùm facultas adest seuire cõsueuisse.* Cap. 31. Fol. 66.
- Exemplis variorum tẽporum demonstratur hæreticæ persecutionis in pios crudelitas, ac primum de Nouatianorum seuitia.* Cap. 32. Fol. 67.
- De Arrianorum in catholicos furoribus per Romanos principes.* Cap. 33. Fol. 68.
- De Gotthis Arrianis.* Cap. 34. Fol. 72.
- Persecutio Vandalica.* Cap. 35. Fol. 74.
- De Longobardis Arrianis in Italia.* Cap. 36. Fol. 78.
- De persecutionibus Donatistarum in Africa.* Cap. 37. Fol. 79.
- De persecutionibus Eutychianorum.* Cap. 38. Fol. 82.
- De Acephalis.* Cap. 39. Fol. 84.
- De Monotelitis.* Cap. 40. Fol. 85.
- Persecutio Iconoclastarum in Græcia, ipsiusque tandem Græciæ defectio.* Cap. 41. Fol. 87.
- De persecutionibus Mahometistarum.* Cap. 42. Fol. 93.
- De Petrobrusianorũ & Hæricianorum, siue Albigenensium in Gallia persecutionibus.* Cap. 43. Fol. 96.
- De Hussitarũ in Bohemia persecutione.* Cap. 44. Fol. 99.
- De An-*

INDEX CAPITVM.

- Fol. 100.* De Anglicana in pios crudelitate sub Henrico octauo. Cap. 45.
- Fol. 101.* De Gallicanis & inferiorum aliquot Belgij prouinciarum per Hugonottas furoribus. Cap. 46.
- Fol. 102.* In ijs hominibus qui ecclesiam persequuntur diaboli conatus maximè pertimescendos. Cap. 47.
- Fol. 104.* Ad crudelitatem in pios exercendam hereticos diabolo opportunissimos esse, quos ipsa heresis Iudæis Gentilibusque deteriores reddit. Cap. 48.
- Fol. 106.* Cur diabolus per suos satellites ecclesie potissimum pastores ac Dei sacerdotes persequatur. Cap. 49.
- Fol. 108.* Ex ijs rebus quas tollere heretici & schismatici moliuntur, palam esse quod veram pietatem per eos diabolus persequatur. Cap. 50.
- Fol. 109.* Ex ipso persequendi modo & imitatione persecutorum superioris ætatis facile elucere quo spiritu nostri persecutores agitentur. Cap. 51.
- Fol. 111.* Tam graues fidelium persecutiones ob merita peccatorum nostrorum euenire solere. Cap. 52.
- Fol. 112.* De persecutione linguæ. Cap. 53.
- Fol. 116.* Neminem à persecutione immunem esse, quando & improborum perditæ mores magna sint piorum persecutio. Cap. 54.
- Fol. 118.* Nemini hostem deesse à quo persecutionem patiatur, quando & hostem habemus, dum viuimus, in nobismetipsis inclusum. Cap. 55.
- Fol. 120.* Tum demum Christi seruis pacem & quietem fore, cum duarum quæ hic permixtae sunt ciuitatum, fuerit facta discretio. Cap. 56.

1  
DE VARIIS GE-  
NERIBVS, CAVSIS,

ATQVE EXITV PERSEQVVTIO-  
num; quas pij patiuntur in hoc  
mundo peregrinantes

LIBER VNVS.

*Iam inde ab initio sanctos persecutio-  
nem pati solitos esse.*

CAPVT I.



QVOD ait S. Apostolus, Omnes qui pie *2. Timoth. 3o*  
viuere in Christo Iesu volunt, perse-  
quutionem patientur, mirari video so-  
lere nonnullos, vererique ne piorum e-  
numero ipsi exclusi sint, quia nulla sibi  
persequutione premi videantur. Sed vt

hi quod verissimè dictum esse, propter  
summam auctoritatem asserentis, credunt, etiam intelli-  
gant, verissimumque esse ex ipsa quoque ratione perspi-  
ciant; id hoc opere, si possumus, efficere studeamus. Res  
nova non est, sed quæ ab ipsis humani generis cœpit initijs,  
vt boni, & iusti, ac veræ Religionis cultores, per pres-  
suras, & iniurias, grauésque ac multiformes infestationum  
pœnas, angusti itineris difficultate gradientur. Sic enim  
in ipsa mundi statim origine Abel iustus, à fratre primus  
occiditur. Thare domus patris Abraham, ob veri Dei cul-  
tum premitur à Chaldæis; Iacob fugatur, Ioseph vanun-  
datur, & Dauidem misericordem Saul rex crudelis perse-  
quitur. Heliam maicstatem Dei constanter ac fortiter asse-  
rentem, Rex Achab conatur opprimere. Et ille tamen in  
fuga luadiuinitus alitur, volucribusque cibum ministranti-  
bus, in persecutione nutritur. Daniel in lacu leonum in-  
cluditur regis iussu, & tamen inter feras esurientes & par-  
centes homo Dei pascitur. Vnde perspicui potest, quàm sit  
humanæ malitiæ detestanda crudelitas, Ferae parcunt, aues  
pascunt: homines insidiantur & sæuiunt. Zacharias sacerdos *2. Para. 24.*  
interficatur inter templum & altare, vt illic hostia ipse fiat,

A vbi

*August. lib.  
16. de ciuit.  
cap. 13. &  
Iudith ca. 5o*

DE VARIIS PIORVM

*Hiere. 10.*

*Daniel. 3.*

*Hebr. 11.*

vbi Deo hostias immolabat. Hieremias cum spiritu Domini vaticinatur tristitia, à Phassur sacerdote percutitur, atque etiam in neruum conijcitur. Quid commemorem tot iustorum sæpe celebrata martyria? tot edita in posterum fidei & virtutis exempla? Tres pueri Ananias, Azarias, Michael ætate impares, dilectione concordēs, fide stabiles, virtute constantes, ob vnius Dei confessionem in ardentem coniecti fornacem, flammis tamen, ac pœnis videntibus, superiores euasere. Alij, inquit Apostolus, ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, tentati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, circumierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ. Venio ad Christi Ecclesiam. Quos non persecutionum turbines perpassi sunt Apostoli? Quot millia constantissimorum confessorum persecutio? quot millia fortissimorum martyrum gladius tyranni sæuentis illustrauit? Consimilia sic esse capiti membra oportebat, vt quoniam ille vix natus, urgente persecutione, fuga sibi consulere coactus, deinde cõrumelijs atque iniurijs grauibus, & tormentis maximis, ad probrosissimam vsque mortem perductus est, in eiusmodi persecutionis agone, fierent ei Christiani conformes, si vellent gloriæ eius effici participes. Postquam igitur toleratæ persecutionis abundamus exemplis, ipsam rei huius rationem contemplemur.

*Qui fiat, vt semper mali persequantur bonos.*

CAPVT II.

*Ioan. 15 8*



Criptum in Euangelio sic est: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mûdo non estis, propterea odit vos mundus. Ideoque si me persequuti sunt, inquit, & vos persequentur. Magnum piorum hominum solatium video in hac esse ratione constitutum. De medio enim electos mundo, & à perditorum vniuersitate discretos, morum dissimilitudo inuisos reddit: hoc etenim oderunt illi, quod esse nolunt, atq; ex eius rei, quam vehementer improbant odio, fremunt premuntque persequendo. Habere iniquitas non potest cum iustitia pacem, tempe-

temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, non petulantia verecundiam, non auaritia largitatem. Si caput ipsum ob hanc morum aduersitatem persecutus est mundus; profectò & pios omnes, qui eodem spiritu viuunt, persequetur. Vide autem quid in Christum Dominum, impiorum & perditorum hominum persecutionem incitarit. Loquuntur apud Sapientem & dicunt: Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Gravis est etiam nobis ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius. Tanquam nugaces aestimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris tãquam ab immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Ferre Christum impij Iudæi minime potuerunt, quod affectus dissimilis studia vitæ contraria faciebat, alteraque vita alterius erat manifesta damnatio. Ideo que fratribus quoque suis, cum in eum nec ipsi crederent, aiebat: Non potest mundus odisse vos: cultores videlicet suos atque amatores. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Inde est quòd boni improbis semper fuere graues. Inde inter ciuitates duas, quæ pariter in hoc mundo versantur, pax esse, & coalescere amicitia nunquam potest quam morum similitudo conciliat. Simulatque apparere illæ discernique coeperunt, visa quoque discordia & pugna est: nec potuit tanta disiunctio animorum, non in apertam continuo persecutionem erumpere. Odio quippe insanabili persequitur mundus sui dissimiles, & salutiferæ veritatis lucem, humanæ tenebræ ferre non possunt.

Sapient. 2.6.

Ioan. 7.6.

*Impia pars mundi, parti est infesta piorum,*

*Nec tolerare potest dissimiles animos.*

*Ridens nolentes opibus presentibus uti,*

*Sperantesque sibi credita posse dari.*

Prosper episcopus

gram. 32.

Vt igitur pax esse inter Christum & Belial non potest; ita nec ciuitates illæ duæ, quarum est altera piorum, altera impiorum, vera iungi cõcordia possunt. Sanctæ ciuitatis Christus est cõditor, ciuitatis impiæ diabolus fundator & rector est. Illam cõstituit amor Dei vsq; ad contemptum sui; hanc è diuerso amor sui, vsq; ad contemptum Dei. Sibi enim placens actumens, & omnia quæ prosecutione digna sunt, in se vna

A ij posita

DE VARIIS PIORVM

- Esa. 47. b* posita existimans, loquitur apud Prophetam & dicit: Ego sum, & præter me non est amplius. Vitur illa mundo, vt fruatur Deo. Hæc contrà, Deo vitur, vt mundo perfruatur. Peregrinatur illa hic, & manentem fixamque in terris non habens ciuitatem, futuram inquirit: quemadmodum sanctissimi cuiusdam ciuis ea declarat oratio, qua dicit: Aduena ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei. Hæc verò mundi huius inescata delicijs, in terrena felicitate penitus acquiescit. Eò fit, vt quicquid huic aduersum senserit, remouere conetur, & propter hanc suam cupiditatem, etiam odio prosequatur & persequatur veritatem. Omnia, inquit ille, mandata tua veritas: idcirco iniqui persecuti sunt me, adiuua me. Hanc enim (tanquam diceret) diuinorum mandatorum amplector omni desiderio veritatem, à qua semper est iniquorum hominum auersa voluntas. Vbi igitur animorum tanta sit discordia, quænam esse morum ac studiorum concordia possit? Hinc tametsi illæ in hoc seculo ciuitates implexæ permixtæque sint, donec vltimo iudicio separentur, atque idcirco temporaria quædam & bona & mala communia habeant; tamen perpetuo inter se diffidio colliduntur: quoniam & fide, & spe, & amore mirabiliter separantur. Vt enim ignis & aqua simul esse, nisi pugnent inter se, non possunt: ita necesse est, duæ illæ ciuitates assidua inter se aduersitate confligant. Atque vt in eodem homine contra spiritum caro, & contra carnem spiritus concupiscit: ita in eadem Repub. cum bonis mali pacem habere non queunt. Neque verò hoc quisquam putet ad piorum aliquam accusationem redundare, quòd pacera cum malis non habeant. Non enim id vicio fit bonorum, qui, iuxta Apostoli præceptum, pacem cum omnibus, quantum quidem in ipsis est situm, conseruant: sed culpa malorum, qui suis vicijs ac tenebris delectati, virtutis lucem ferre non possunt. Ideòque illos in quibus inesse ac lucere conspicitur, tollere è medio moluntur. Vicia verò boni, vt in se ipsis, ita & in alijs persequantur: nimirum vt naturæ benè esse velint, cuius vitium gestiunt amoliri. Vt enim is neque odisse corpus suum, neque persequi censendus est, qui amarum etiam pharmacis morbum conatur extinguere: ita neque seipsum boni odisse, neque homines alios persequi putandi sunt, cum id castigationibus & correptionibus agunt, vt vi-
- tiorum

tiorum malum, tãquam animorum ægritudo, pellatur. Imò verò quis non id magni beneficij loco ducat, si tamen bona mente præditus sit, quòd aliena cura & opera, in meliorem sit naturæ statum restitutus? Oderunt igitur boni non homines, sed hominum vitia, & si qua vnquam ab illis mouetur persecutio, ea non ex odio, sed ex charitate proficisci credenda est; qua vel malis consulitur ad correctionem, vel certè bonis & integris ad tutelam. Vnde illa sunt in Psalmo: Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præuarcationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam, detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. Ecce persequutor bonus, non hominis, sed peccati. Est enim, inquit Ambros. etiam iusta persecutio, si oderimus obscœnos, si infesti sumus iniustis, si iniquos velimus opprimere, ne pluribus noceant, si auarum fraudis suæ compedijs exuamus, si execremur insolentiam superborum. Nam vt est apud Sapientem in Prouerbijs: Abominantur iusti virum impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via. At horum terrena ciuitas non corrigere cupit, sed perdere; nec ei vitia tollere cordi est, sed ingratiam sibi & exosam demoliri atque opprimere veritatem. Hoc enim est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerant homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera. Ne verò existimares sic eos luci tenebras amando præponere, vt tamen lucem non odissent, adiunxit: Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Obseruabit, inquit Regius Psalter, peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis. Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Et rursus, Considerat peccator iustum, & quarit mortificare eum. Et: Me expectauerunt peccatores vt perderent me, testimonia tua intellexi. Persequuntur boni interdum, sed vt malos compellat ad bonum accedere: mali verò ac perditum persequuntur, vt cogant susceptis malis, quod bonum est ac salutare deserere. Itaque & Saram legimus persequeutam esse ancillam Agar; & hanc tamen cum fugisset, reuerti iussam esse ad dominam suam, propterea quòd illam vtiliter, si ipsa saperet, castigaret. Et iussisse Ismaëlem cum Isaac reperimus,

Psal. 108. 6

Ambros.  
serm. 11. in  
Psal. 118.

Prouer. 29.

Ioh. 3.

Psal. 36.

Psal. 118.

Aug. traç.  
40. super  
Iohannem.

DE VARIIS PIORVM

*Galat. 4.*

& hanc ipsam tamen collusionem quia sollicitaret ad malum, persecutionem appellari. Is, inquit Apostolus, qui secundum carnem natus est, persequatur eum qui secundum spiritum. In quibus profecto pueris, specimen quoddam nobis propositum esse videtur huius de qua agimus persecutionis, ut intelligeremus carnales homines, ex quibus ciuitas terrena conflatur, bonos semper ac spirituales Dei seruos persequi, eoque tantummodo nomine odisse, quod boni sint.

*Psalms. 136.*

Vnde etiam illa in Psalmis vox est: Memento Domine filiorum Edom in die Hierusalem. Homo enim Israhelita & pius Dei cultor inter alienigenas constitutus, precatur Dominum ut men inierit, quia inter filios Edom, id est Esau, & inter filios Jacob, concordia esse non possit, & illae inimicitiae maneant, quas iam in matris utero significabat nodum natorum lucta geminorum. Haec est annunciatio, inquit

*1. Ioan. 3.*

Ioannes, quam audivis ab initio, ut diligatis alterutrum, non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. & propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, fratris autem iusta. Invidentiae enim diabolicae, inquit

*Lib. 11. de  
ciuit. Dei, c. 5*

Augustinus, qua invidet bonis mali, nulla alia causa est, quam quia illi boni sunt, isti mali. Semper enim inimica virtutibus sunt vitia, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur. Recteque illud Cicero: Disparis mores disparia fiducia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias. Nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studio rumque distantia. Nonnunquam tamen, ait Lactantius, sentiunt se malos esse, & veterum seculorum in se laudant, & de moribus suis meritisque coniectant abesse iustitiam, quam obuersantem oculis suis non tantum non suscipiunt nec agnoscunt, verum etiam violenter oderunt & persequuntur, & exterminare contendunt. Ac quibusdam interpositis. Huius tanti & tam pertinacis odij, inquit, quam potissimum causam esse dicemus? Vtrumne veritas odium pariat (ut ait

*Lib. 5. Insi-  
sus. cap. 9.*

Poeta quasi diuino spiritu instructus) an erubescet coram bonis & iustis esse nequam, an potius vtrunque? Nam & veritas ideo semper inuisa est, quod is qui peccat, vult habere liberum peccandi locum, nec aliter se putat malefactorum voluptate securius persequi posse, quam si nemo sit cui delicta

delicta non placeat. Ergo tanquam scelerum & malitiae suae testes extirpare funditus nituntur & tollere, grauesque sibi putant, tanquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestiue boni, qui corruptis moribus publicis, conuictum bene viuendo faciant? Cur non omnes sint aequè mali, rapaces, impudici, adulteri, periuri, cupidi, fraudulentum? Quin potius auferantur, quibus coram male viuere pudet, qui peccantium frontem etsi non verbis quia tacet, tamen ipso genere vitae dissimili feriunt & verberant. Castigare enim videtur quicumque dissentit. Nec est magnopere mirandum, si aduersus homines ista sunt, cum aduersus ipsum Deum propter eandem causam insurrexerit populus in spe constitutus, nec Dei nescius: sequiturque iustos eadem necessitas, quae ipsum iustitiae violauit authorem.

*De persecutionum varietate.*

## CAPVT III.



Ontem ipsum persecutionis aperuimus, nunc persecutionum varietatem videamus. Nunquam sanctorum societas hostibus caruit, à quibus persecutione premeretur. Illa enim est, cuius ex Psalmis vox ea cognoscitur: Sepè

expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. *Psal. 128.* Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Huius ij quoque hostes erant, de quibus illa querimonia est: Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt, & vim faciebant qui querebant animam meam. *Psal. 37.* Et qui inquirebant mala mihi, loquuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ac rursus: Multi qui persequuntur me & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui. *Psal. 118.* Alio que in loco propterea diuinam implorat opem, ne inimicorum suorum circumueniatur atque opprimatur insidijs. *Psal. 139.* Conserua me Domine, inquit, de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis erue me. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi. Sanctae enim Ecclesiae capitalis inimicus diabolus, postquam semel expectasset eam ut cribraret sicut triticum, non destitit omni oppugnatione totaque nocendi arte illam infestare: dum inuidia quidam vritur in Iudaeis, *Luc. 21.* scruicia verò accenditur in paganis,

DE VARIIS PIORVM

ganis, simulatione infidiatur in hæreticis : dum Iudæos obdurat per scientiæ legalis inflationem, dum Gentiles in furorem persequutionis instigat, dum hæreticos denique per falsa fidei commenta corrumpit. Qui tamen inter sese ipsi conflictentur, grauitèrque dissideant, ac propter luxuriam & voluptates & lucra de populis, habeant inter se discordiam : tamen vnã Christi sponsam, eodem malevolentia spiritum communiq; conspiratione, persequendo fatigant. In ira enim Domini exercituum, inquit Isaias, conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcat, vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen : simul ipsi contra Iudam. Itaque etiam nunc amici fiunt Pilatus & Herodes, vt Christum spernant, ludificent, persequantur. Nisi enim & Iudæi & Gentiles, & religionis Christianæ simulators hæretici Christum nunc quoque persequerentur, sempèq; hætenus fuissent persequuti, non audisset Paulus coelestifulgure prostratus : Saule, Saule, quid me persequeris? Nam quemadmodum si quid membri Christi beneficij præsistum est, id sibi Christus præsistum ducit. Quodenim, inquit, vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. Ita suorum afflictiones pressurasq; membrorum, suas esse deputat. Itaque sese dignatus ille semper cum suis membris benignissime cõiungere, sicut in Psalmis de impiorum omnium & rebellium odijs atque infestatione conqueritur, ac si quoties illi sanctos persequuntur, toties in ijs ipse patiatur. Namq; & illa eius in Psalmis vox est : Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine Domini quia vltus sum in eos. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis. Ipsum quippe Dominum Ecclesiæ caput, rectè accipimus circumdatum à persequutoribus, sicut circumdant apes fauum. Nam quid ab ignorantibus gestum sit, mystica subtilitate Spiritus sanctus eloquitur. Mel enim apes operantur in fauis. Ad eundem quoque modum persequutores Domini, reddiderunt eum nobis in passione dulciorem, vt gustemus & videamus quã suavis est Dominus : qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Iam verò quod sequitur : Et exarserunt velut ignis in spinis ; in eius corpore, hoc est, in populo vbique diffuso, commodius accipitur : quem circumdederunt omnes gentes, cum

*Isaia 9.  
Hieronymus  
in commentario eius  
loci.*

*Chryso. ser.  
quodam in  
illud 1. Co-  
rint 15. Cum  
autẽ subie-  
cta fuerint  
ei omnia.*

*Psal. 117.*

PERSECUTIONIBVS. 5

res, eum sit collectus de omnibus gentibus. Exarseruntque velut ignis in spinis, quando peccatricem carnem atque huius mortalis vitæ molestissimas compunctiones, persecutionis incendio cremauerunt. In horum varietate & quadam vniuersitate persecutorum, illa intelligitur mulier meretrix, quam describit Apocalypsis, ebriam de sanguine sanctorum & martyrum Iesu. Vnum etenim malorum corpus intelligi voluit, quod semper aduersatur Ecclesie intus & foris. Quia & in Ecclesia sunt ficti Christiani, & extra Ecclesiam Iudei, hæretici, & pagani. Et licet interdum corpore separentur, vno tamen animo in Ecclesie persecutione iunguntur. Hæceadem est Babylon, omnium ciuitas superbiorum, cuius in veneficijs errasse omnes gentes, in eaque sanguinem prophetarum & sanctorum martyrum repertum esse, eadem Apocalypsis commemorat. Hanc fuso fratris sui sanguine Cain fundauit, vocauitque nomen eius nomine filij sui, Enoch, id est posteritatem. Quia omnes mali in quibus est Babylonia, succedentes sibi vsque ad finem mundi, Ecclesiam Dei vno animo eademque sententia persequuntur.

Apocal. 17. 6

Apocal. 18. 8

*Quam grauibus persecutionibus, quibusque de causis Iudei Christi Apostolos affixerint.*

CAPVT IIIII.

ET Iudeorum quidem quantus in veros Dei cultores, Christi que familiam, inuidentiæ furor exarserit, ex diuinis literis potest intelligi. Qui enim ipsum ciuitatis sanctæ principem & instauratorem Christum, pertinacissimis odijs in crucem agi, probrosissimoque affici supplicio voluerunt, iidem postea in eius discipulos pari odio & rabie sæuierunt. Parum enim eis fuerat in agnum Dei tolerantem peccatum mundi, contra testificationem legis, contra oracula Prophetarum, contra diuinarum experimenta virtutum seditionibus, contumelijs, sputis, alapis, lapidibus, flagris, & ad postremum crucis atrocitate squisse; nisi etiam testes resurrectionis eius, eadem persequerentur insania. Hinc Paulus cum adhuc Saulus, id est, superbus esset, spirans minarum ac cædis in Domini discipulos, Damascum pergebat, & si quos inueniret huius vitæ viros in carcerem rapiebat. Hinc Stephanus protomartyr cum vtilia suaderet, singularique sapientia disputantes secum Libertinos reuinceret,

Act. 11. 6

Act. 7.

A T ceret,

DE VARIIS PIORVM

*Euseb. lib.  
2. eccles. hist.  
cap. 23.  
Actor. 8.*

*Actor. 13.  
14.*

*Actor. 17.*

*1. Thef. 2.*

*Hiere. 12.*

ceret, saxorum turbine est oppressus. Iacobus alter gladio  
cæsus, alter fullonum fuste percussus, post præcipitium oc-  
cubuit. Hinc magna illa coorta est in Ecclesia quæ Hieroso-  
lymis erat, persecutio, vt exceptis Apostolis omnes Chri-  
sti discipulos per Iudææ & Samariæ regiones, tempestas  
sæua dispergeret. Denique & horum perfida nequitia, ad-  
uersus pios Gentilium sepe est furor accensus, vt quoad fieri  
posset, nullo eos loco consistere paterentur. Quid enim An-  
tiochiæ? nonne cum turbas populorum audiedi verbi causa  
confluentes, Iudæi conspicerentur, zelo sic concitati sunt, vt  
& Paulo contradicerent, & blasphemarent, & religiosas in-  
super mulieres & honestas, primosq; ciuitatis, ad persequen-  
dos Paulum & Barnabam, suisq; de finibus eiciendos, per-  
pelleret? Quid deinde Iconij? nonne cum Iudæorum Græ-  
corumque ingens multitudo prædicanti Paulo credidisset,  
qui increduli remansere Iudæi, Gentium animas aduersus  
fratres iracundia inflammantur? Et sic quidem inflamma-  
runt, vt contumelias & lapides in Apostolos illa iracundia  
flamma percoqueret, quibus exacti, ad ciuitates Lycaoniæ  
confugerunt. Hic vero cum à Gentibus quidem crederen-  
tur dii, illisque sacrificia pararentur, tanquam Ioui & Mer-  
curio; mox Iudæis incitantibus, ab illis ipsis adoratoribus  
suis, grauissima persecutione premuntur, vsque adeo vt la-  
pidibus propè enectus Paulus, mortuo similis è ciuitate tra-  
heretur. Nec Thessaloniæ tutos esse illos sinit, nec verò  
Berrhææ Iudæorum irrequieta malicia, sed vsi factiosorum  
quorundam atque è vulgo perditorum hominum opera,  
persuasèrunt Apostolos contra Cæsaris decreta facere, Re-  
gèmq; alium prædicare, studiumque Principum ac multi-  
tudinis contra verbi diuini præconiū, eiusmodi ratione com-  
mouerunt. Hi sunt de quibus Apostolus sic queritur apud  
Thessalonicenses: Imitatores facti estis Ecclesiarum, quæ  
sunt in Iudæa in Christo Iesu, quia eadem passi estis & vos  
à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Domi-  
num occiderunt Iesum, & prophetas persequuti sunt, &  
Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, pro-  
hibentes nos Gentibus loqui, vt salui fiant; vt impleant pec-  
cata sua semper. Peruenitenim super illos ira Dei vsque in  
finem. Sed & ipsius Domini per Hieremiam querimonia  
est: Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam: facta  
est mihi

est mihi hæreditas mea quasi spelunca leonæ, siue vt vulgata  
 editione redditum est, quasi leo in sylua. Postremum hoc,  
 Iudaici populi feritatem expressit, propter quam deserta il-  
 lorum est domus, id est, templum illud quod fulgebat au-  
 gustius; quia hæreditatem præripere gestiens, occidit hære-  
 dem. Apertè quoq; hoc illis à Christo Domino prædictum  
 est: Hierusalem, inquit, quæ occidis prophetas & lapidas *Matth. 23. 2*  
 eos qui mittuntur ad te: quoties volui congregare filios  
 tuos quemadmodum gallina pullos suos sub alas, & no-  
 luisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Gra-  
 uissimum verò illud quod alio loco expressum est: Fiant  
 via illorum tenebræ (vt quibus in malis sint non videant) & *Psalms. 34.*  
 lubricum (vt magis magisque labantur) & angelus Domini  
 persequens eos. Quoniam gratis absconderunt mihi inte-  
 ritum laquei sui, superuacue exprobrauerunt animam meam.  
 Offendebat autem hos crucis prædicatio, à qua salus pen-  
 dere diceretur. Cumque zelum haberent Dei, sed non secun-  
 dum scientiam, suam quoque volebant iustitiam constitue-  
 re; ex quo iustitiæ Dei, quæ per crucem est, non erant sub-  
 iecti. Fortes erant illi, de quibus in Psalmis dictum est: Quo-  
 niam irruerunt in me sortes; suis enim de viribus suaque *Psalms. 58.*  
 de iustitia presumentes, cum sibi sani viderentur, medicinam  
 recusarunt, & tanquam phrenetica fortitudine, medicum  
 tandem ipsum necauerunt. Paternas retinere traditiones  
 infestabant. Inuidebant saluti Gentium, easque vocari ad  
 regnum, & benedictionem promissam Abraham, impatien-  
 tissimè audiebant. Incircunciserant corde & auribus, atque *Act. 7.*  
 vt antea semper, ita & tum maximè Spiritui sancto resiste-  
 bant. Hos enim Stephanus alloquens ceruicisque antiquam  
 duritiam, libera voce improperans: Quem, inquit, prophe- *Ibidem.*  
 tarum non sunt persecuti patres vestri, qui prænucciabant  
 de aduentu iusti, cuius vos nunc homicidæ & proditores  
 fuistis? In iustis persequendis atque delendis, erat filiorum  
 cum patribus communis impietas: quòq; illi veritatis odio  
 in ministros fauierant, eodem hi in ipsum dominum ac pa-  
 trem familias irruerunt. Superiorum temporum sublatis  
 iustitiæ nuncijs, missum postremò filium vt agnouerunt,  
 contempserunt; vt contempserunt, excæcati tandem odio,  
 interimerè conati sunt. Hic est, inquiunt, hæres, venite occi- *Matth. 23.*  
 damus

DE VARIIS PIORVM

damus eum, & nostra erit hæreditas. Quorsum autem, obsecro, malus hic tandem zelus euasit? Eo nimirum, quod in Evangelio Christus non tacuit: Venit, inquit, hora, vt omnis qui interficit vos, obsequium arbitretur se præstare Deo. Quis ad hanc non exhorrescat cæcitatem? Sæuiunt in homines innocentissimos illi, quorum è numero multi restitutæ sibi valetudinis beneficia testabantur: de damno accepto nemo querebatur. Euangelij lucem quam toto terrarum orbe diffundi volebat Deus, diabolica maleuolentia conantur extinguere: & post hæc omnia tamen, persequendis, affligendis, trucidandis Apostolis, obsequium se præstare Deo arbitrantur. Animaduerte autem implacabile odium veritatis, auidissimamque necis crudelitatem. Cùm eò Paulus in sua causa peruenisset, vt commemoraret sibi dictum esse à Domino: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te, cæteris attentè & silenter auditis, hoc vnum ferendum esse minimè putauerunt: vsque adeò vt vociferantibus illis & proiicientibus vestimenta sua, pulueremque iactantibus in aëra, Tribunus eum induci in castra iuberet, vt tam inusitati clamoris causam, etiam tormento & quæstione cognosceret.

*Ioan. 16. c.*

*Act. 22.*

*Ibidem.*

*Quam posterioribus quoque temporibus Iudæi fuerint Christianis infesti.*

CAPVT V.

**Q**uid autem non posterioribus temporibus moliti aduersus populum Christianum fuissent, si non eos diuina ultio dispersos ac trepidos agere per aliena hospitia coegisset? Namque Aelij Hadriani temporibus, cùm suæ factionis haberent ducem Chozbeam, seu, vt alij legunt, Chochibum vel Barchochabam, Christianos varijs supplicijs atque ingenti crudelitate peremerunt; præcipue quidè odio religionis ( Etenim, vt author est Iulianus martyr, ille Iudaicæ princeps factionis Christianos solos, nisi negarent Christum, tanquam blasphemos ad supplicia rapi iubebat: ) sed ob hoc etiam, quod ipsis Christiani aduersus Romanos non assentirentur. Sed hos perturbatione scelerum suorum exagitados, & Palæstinam, prouinciam quondam suam depopulantes, vltima cæde perdomuit Adrianus, Christianosque sic vltus magna seueritate præcepit, ne cui Iudæo

*D. Hiero. de script. eccles.*

*Vide apud Eusebiū lib. 4. ecclesiast. hist. cap. 8. Paulus Orosius lib. 7. cap. 13.*

Iudæo Hierosolymam ingredi fas esset, aut eam vel ex spe- *Irenæus lib. 4 aduersus*  
 eula contueri, solis Christianis ciuitate permissa, quam ipse *hereses.*  
 in optimum statum, murorum extruptione reparauit, & *Iustinus in*  
 A Eliam vocari de suo prenomine iussit. Sed & multo post, *Dialogo.*  
 cum illos Iulianus Apostata circumuentos in regni sui re- *Eusebius in*  
 cuperandi spem adduxisset, templamque igni consumptum *Chronico.*  
 ædificare aggressi essent, continuo nostris insultare cœpe- *Ruffinus*  
 runt, & velut reparatis sibi regni temporibus, comminari *lib. 10. eccle-*  
 acrius ac feruoriam ostentare, omninoque in magno tumore *sist. hist.*  
 & superbia agere, vsque adeò vt ea tempestate Basilicas Ec- *cap. 37.*  
 clesie multas incenderint. Duas, inquit Ambrosius, Da- *Epistola 39.*  
 masci, quarum vna vix reparata est, sed Ecclesie non syna-  
 gogæ impendijs: Altera Basilica in formibus horret ruinis.  
 Incensæ sunt Basilicæ Gazis, Ascalonæ, Berito & illis ferè  
 locis omnibus. Incensa est Basilica & Alexandriæ à Genti-  
 bus & Iudæis, quæ sola præstabat ceteris. Hæc ille ad Theo-  
 dosium scribens Imperatorem, vindicari iubentem in Epi-  
 scopum & Christianos, qui Iudæorum synagogam incen-  
 derant. Vt autem odij in Christianos concepti magnitudi-  
 nem, & vipereæ mentis ad persequendum semper intentæ,  
 nequissimum studium intelligas, author sanè est Eusebius, *Lib. 4. eccle-*  
 cum beati Polycarpi describit martyrium, gentilibus ligna *sist. hist.*  
 de balneis vel de publicis quibusque locis, & sarmenta ad *cap. 15.*  
 rogam extruendum congregantibus; hæc ipsa quoque Iu-  
 dæos multò ardentius, proque suo in nos odio, feruore  
 maiore ac furore fecisse. Quin & postea inuictissimo mar-  
 tyre iam flammis extincto, intentissimis oculis obseruasse  
 ne corpus eius Christiani raperent, atque honorificè more  
 suo sepelirent: vsque adeò vt cum animaduertisset Centurio  
 tam obstinatum Iudæorum contentionem, positum in me-  
 dio corpus exusserit. Quo facto, inquit, nos postmodum  
 combusta ossa preciosissimis gemmis cariora, & omni auro  
 probatiora per ignem facta, collegimus, ac sicuti conuenie-  
 bat, ex more condidimus. Iustinus quoque ex Philosopho  
 Christianus, & martyr postea clarissimus, in eo dialogo in  
 quo cum Tryphone Hebræorum nobilissimo doctore col-  
 loquitur, Iudæos scribit aduersus Ecclesiam Christi, insidijs  
 semper feralibus agere: quod etsi ipse tacuisset, nos tamen  
 hoc Apostolorum Acta ignorare non sinerent. Quoties  
 enim Paulum verè feralibus odijs atque insidijs, perdere  
 conati

DE VARIIS PIORVM

conati sunt? Quoties rabiosam illorum aduersus Christum membrâq; eius malenolentiam diuini Psalmi expresserunt? *Dialo. cōtra Tryphonem.* Tryphonem verò ille atque in eo Iudæos insimulans vniuersos, eiusmodi vtitur verbis: Non solum non penitistis pro his quæ malè à vobis gesta sunt, sed & viros aptos ad hoc elegistis de Hierosolymis, & misistis per omnem terram qui circuitent & dicerent, impiam hæresim surrexisse Christianorum, simul & criminosa quædam diffamarent aduersum nos: quo videlicet per hoc ignorantes quique deterriti, consortia nostra vitarent. In quo non solum vobis ipsis, sed & alijs opprobria fingendo, causa mortis exististis. Hæc Iustinus. Cogar esse prolixior si cætera persequi velim. Perfidum enim hoc genus hominum, qui eum quem Dominus pro omnium delictis percusserat, persequuti sunt; oblata occasione, imò quæsitâ, cum facultas affuit in Christianam multitudinem sæuire non destitit. Nam & Iustiniano imperante cum sibi Iulianum quendam coronassent Imperatorem, arma cōtra Christianos, non sine multa cæde & incendijs commouere. Rursumque postea eodem Iustiniano imperij sui annum agente vigesimumnonum, in Cæsarea Palestinæ, impetum in Christianos Iudæi ac Samaritæ fecerunt, è quibus trucidarunt multos: Ecclesias verò flammis scedarunt. Denique & Stephanum ipsius præfectum ciuitatis in prætorio peremerunt, eiusque substantiam diripuerunt. Septimo quoq; Phocæ imperantis anno, inquieta Iudæorum aduersus Christianos simultas Antiochiæ in apertâ cædem exarsit, qua & Antiochenus Patriarcha crudeli morte sublatus; posteaque protractus in vrbs plateam, & ciues non pauci interfecti atque incensi referuntur. Sed & aliàs cum parum in multos possent neque auderent, quantum tamen aduersum nos odium semper animis continerent, vel circa ipsos Christianorum infantulos, mirificè declararunt. Vt enim præteream quod Tripartita narrat historia, comprehensum illos infantulum Christianum in Syriæ partibus crucialligasse, atque affatim irrisum, postea verberibus peremisse: memorabilia sunt eius gentis Iudaicæ crudelitatis exempla, quæ vicinioribus multo locis ediderunt. Namque Tridenti (quæ ciuitas in ipsis est Germaniæ faucibus, atque extremis Italiæ finibus sita) puer Brixianum, rulum tres nondum annos natum, Simonem nomine, cum solum

Solum forte reperissent, vellētq; in ipsa Paschæ festiuitate, gratissimum aliquod Deo sacrificiū exhibere: verbis prius allectum blandioribus, atque munusculis puerilibus delinitum, ad nephanda paulò post supplicia rapuerunt. Mensa quippe, velut altari ad cedem constituta, & argenteo ciatho ad sanguinem excipiendum comparato, non de more sacrorum, aut cultro puerum iugulant, aut teneram ei transfodiunt latus, sed crucis in formam compositum corpusculum, acubus certatim perforant, crebrisque & minutis punctationibus, per lentos acerrimosque cruciatus exhauriunt. Non eos aetatis innocentiæ mouit consideratio, non exilium figura membrorum: quin potius dolore patitur fera crudelitas eò magis, quò minus eum interclusa vox claris prodere potuit indicijs. Quoque magis cecum odium admirare cur hæc facerent, siua prius istiusmodi oratione declarabāt: Cæli terræque conditor Deus, hunc tibi puerulum in ludibria Christi, offert gens grata Iudæorum: precuturque, vt sicut hæc tibi victima iam nostris cadet dexteris, sic Christi ubiq; nomen inane, & gens quæ hoc colit, dispereat. Ferunt alio quoque tempore, Iudæos (quorum tunc erat per omnem Franciam ingens diffusa multitudo) merita Philippi regis Augusti seueritate punitos, quod pueros aliquot in pasche nostra, odio Christi crucifixissent. Quippe huic perfidæ genti mos erat impius, vt surreptū quotannis Christianum infantem, in locum apud se abdūctum, & subterraneum ducerent, atque illum diu pœnis afflictum, die tandem veneris sancta, cruci affigerent; hoc immuni suo facinore odium in nos suum manifestissimè comprobantes. Nescio quid aliàs simile in ipsius crucifixi designasse leguntur imaginem, vt illum rursus, quantum in ipsis esset situm, vulneribus & plagis affectum crucifigerent. Extat autem carmen Vbertini Pusculi Brixiensis in ijs libris quos de Simone Tridentino conscripsit: quod hic libuit & propter alterius pueri Richardi Parisiensis mentionem inserere: maximè quod is rem sui temporis conscripserit.

*Turbanocens Solymūm fuit olim sparsa feraces  
Gallorum in terras, longa quos pace fruēbant  
Ocia, diuitijs plenos, opibusque potentes.  
Nec regum decrat fauor illis, emerat auro  
Quos scelerata manus: populos sic vincere tentant,*

*Sic sua*

*Legitur inter Athanasij opera, sermo de hac imagine, & miraculo prodito in ciuitate Beritho, qui sermo totus lactus est in 2. Nicæna synodo, ad statuendā venerationē imaginum.*

DE VARIIS PIORVM

Sic sua bella gerunt. Infandi sepe fuerunt  
 Hebdomada in magna puerum ingulare quotannis  
 Christicolam in cryptis noctu, foueisque profundis  
 Deprehensi, ante dies Paschæ: quæ sacra vocabant  
 Contemptum in Christi, fideique opprobria nostra.  
 Sæpius & penas damnati crimine tanto  
 Igne graues dederant combusti: nec tamen huius  
 Linquebant morem sacri, nec cæde vacabant.  
 Tantum odium, rabieque animos inuasit Hebræos  
 Vt sitiant nostri satiari sanguinis haustu.  
 Nunc quoque Parisijs stat sacra corpus in ede  
 Martyris occisi pueri: quem tempore in illo  
 Græc Iudæa cruci fixit rabiosa, Ricardi.  
 Hunc Deus & multis insignem reddere signis  
 Dignatus, sanctumque suum miracula magna  
 Condecorant. Tandem regni successor auiti.  
 Quod veritus viuente patre, & quod pectore clausum  
 Iamdudum tulerat, factus rex edidit; omnes  
 Iussit septena comprehendere luce Philippus  
 Iudæos solitis collectos in synagogis,  
 Veste, auro, argento spoliatoscedere lato  
 Ereyno, & cunctos exactos sinibus egit  
 Galiorum actutum, mundatas & synagogas  
 Christi templa Dei fecit: tunc Gallia felix  
 Tali rege fuit, felix & tempore nostro  
 Quod viuit secura, timet nec perdere natos  
 Occisos manibus Solyriorum in sacra prophana.

Hocigitur odio Redemptoris, & salutiferæ veritatis fe-  
 cerunt Iudæi, quod eos Christus prædixerat facturos, cum  
 diceret: Implete mensuram patrum vestrorum. Nec mirum  
 si perdidierunt salutem, qui suis de sinibus eiecerunt Saluato-  
 rem. Dum enim umbram legis retinere & signa volunt;  
 dum Mosaica instituta in literæ cortice vt summa miran-  
 tur; dum lenticulæ, ad exemplum Esau, nimium inhiant,  
 corporis soliditatem ac veritatem & primatum amittunt.  
 Tum maximè regno spoliantur & loco, cum hæc quam-  
 maximè sibi stabilire & firmare nituntur. O pueri sensibus,  
 qui de diuina interim sapientia gloriantur. Horum enim in  
 illis pueris adumbratio quædam & imago præcessit, qui  
 prophetam Dei Helizæum lingua persequentes atque iri-  
 dentes,

Matth. 23.  
 Ambro. lib.  
 4. in Lucã.

4. Reg. 2.

dentes, dixerunt: Ascende calue, Ascende calue. Sed hos vita longior nō est à diuina ultione diutius remorata. Maledixit propheta pueris, et ab vrsis inopinatò profiliētibus euestigio deuorantur. Quis iste Propheta est caluus, nisi Christus Dominus in Caluarię loco crucifixus? Qui pueri tam malitiosi, qui sanctum Prophetam irrideant, nisi fatuus & cæcus populus Iudæorum, sensibus legis plenus & nihil videns? Quid est, Ascende calue, nisi crucifige, crucifige? Sed hoc tantum peccatū, grauis citò pœna sequuta est. Ob derisam crucem, in qua sola est Sapientibus gloriandum, ab vrsis, hoc est, à dæmonibus, deuoratur crudelius, quàm dissipantur & pefundantur à Romanis. Etenim pueris non tam crudeliter quam mysticè Propheta maledixerat, vt quod euenturum genti huic foret, præsignaret. Iudæis, inquit Cyprianus, primum erat apud Deum gratia. Sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant, inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit: sed illi negligentes disciplinæ, superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdidierunt. <sup>b</sup> Quam fuerit illis prophana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui profugi per hospitia aliena iactantur.

*Iudæos suæ in Christum eiusque discipulos seuitiæ nullam afferre posse excusationem.*

CAPVT VI.

**I**N his igitur, si libet, interfectorem fratris Cain, apertissimè licet intueri: sicuti & in ipso Abel Christum præfiguratum accepimus. Abelenim iustus, Christus agnus sine macula. Illius munus gratum sibi esse, Dominus emissio cœlitus igne, testatus est. Huius oblatum in crucis ara sacrificium, acceptissimum fuisse Patri, effusus in discipulos Spiritus sanctus, declarauit. Illum Cain inuidiæ stimulis agitatedus occidit; Christum quoque Iudæorum principum inuidia, in crucem actum esse & Iosephus ipse testatur. Iam & pœnam agnosce consumilem. Ille ait: Ecce, eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis qui inuenerit me, occidet me. Quid

B

aliud

4. Reg. 2. 8

<sup>a</sup> Lege Iosephum de bello Iudaico, lib. 2. cap. 25. & 26. & 27. item 34. & sequentibus. Item lib. 4. cap. 17. 18. 19. & lib. 5. cap. 18. ubi Iudæorum, tam primorum quàm aliorum cruces, flagra, variasque mortes leges, quibus affecti sunt à Roma: sicut ea Christo & Christianis intulerant.

<sup>b</sup> Vide Eusebium lib. 2. ecclesiæ hist. cap. 20. de sceleratâ vitâ pontificum.

Genes. 4.

DE VARIIS PIORVM

*Aug. lib. 12.  
contra Fau-  
stum, ca. 12.  
¶ 13.*

*Vide Tertul.  
lib. 3. contra  
Marcionem,  
& Cyprianū  
in tractatu  
cōtra Iudæos*

*Daniel. 9.*

*Lut. 12.*

aliud gens Iudaica, postquam Messiam interemisset, quam ingentes clades & terrores & dissipationes vbique perpeffa est? Circungestant interim legis suæ signum, propter quod non tolluntur penitus, quæ lex nobis quidem vsui esse ad credendum & intelligendum potest, illis verò nisi oneri ad condemnationis testimonium esse non potest. Nec enim credere obcæcata, nec persequutionis odium diuinitus attrita, valet excusare. Cur enim Christum se interemisse dicant? An quia cum Messias non esset, sese pro illo ingesserit? Hoc non impudenter assererent, nisi ei testimonium, lex, & prophete quos suscipiunt, luculentissimè perhiberent. Sed significato duplici eius aduentu, vno qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, non intelligendo primum, qui in humilitate & passione præcessit occultus, vnum tantum expectant, qui sit in potestate & gloria manifestus. Nec igitur ortus locum Bethleem, genusq; Davidis, nec vitæ modum, paupertatis prædicationisque labores, nec mortis genus, crucis supplicium, nec ipsum, quo iuxta Danielis hebdomadas aduenit, tempus: de hoc, quem colimus, prænunciata esse, videre & attendere voluerūt. Non eos Magorum, quos stella nouæ claritatis exciuerat, pium studium, non præconium Ioannis, quem maximi omnes faciebant; non edita in vita ea ipsa quæ Isaias expresserat, non in morte obscurati solis, aliaq; miracula permouerunt. Quin & præter summam cæcitatem, ingrati eius curationibus exstiterunt. Cum enim verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excussisset, paralyticos restrinxisset, leprosos purgasset, illuminasset cæcos, claudis gressum reddidisset, mortuos rursus animasset, coegisset sibi elementa famulari, seruire ventos, maria obedire, inferos cedere; neque his tantis operibus excitati sunt vt crederent, neque prouocati beneficijs vt amarent: sed tanquam feræ implacabiles, beneficijs etiam asperiores effecti, salutis authorem sæpius conati perimere, postremò probrosum mortis eius supplicium, suffragijs violentis & pertinacibus flagitarunt. Itaque meritò audiunt: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit: & cum Austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? quid autem & à vobisipsis non iudicatis quod iustum est?

Ac rur-

Ac rursus, cum lapides Iudei collegissent, ut eum opprimerent, multa bona opera, inquit, ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Et iterum: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia pater in me est, & ego in patre. Et alias: Si non venissem, inquit, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent: (grande illud scilicet incredulitatis, quo venientem in propria Christum, & de se scriptas prophetias implerem, recipere recusarunt) nunc autem excusationem non habent de peccato. Quod peccatum quantum esset, in odio Christi ut perspiceretur: Qui odit me, inquit, & patrem meum odit. Cum enim recta essent diuinaque in Christo omnia, nemo ob hac illum persequi, nisi idem patrem persequeretur, potuit. Denique si missis seruis qui ad paratam eos coenam inuitarent, quia non venerunt, inexcusabiles sunt: quanto minus venia digni videri debent, qui sunt etiam persecuti? Quod autem legem sibi sufficere ad salutem arbitrabatur, hominum erat non eloquia modo prophetica, sed semetipsos quoque prorsus ignorantium. Cur enim non eos meliores legis cognitio & minae reddiderunt? cur non sanatum modo & curatum non est peccati vulnus lege data, sed grauius etiam effectum, cumulo praeruaricationis adiecto? Cur praeruptiati carne Gentiles, sed corde per Christum petram circumcisi, obedientia diuinae legis, circumcisos carne Iudaeos anteibant? Medicinam proinde Christi, crucisque vnum verissimum sacrificium, omnis in lege victimarum varietas adumbrabat, ut per legem quidem agnitudo peccati nosceretur, per Christi vero gratiam, quam illa commendabat, tolleretur. At bona, inquit, lex diuinitus per Moysen tradita, haud quaquam abolenda, sed tanquam necessaria potius ijs omnibus qui salui esse vellent, imponenda fuit. Propterea enim eos persecutionem mouisse, insinuat Apostolus, cum ait: Si circumcisionem praedico, quid adhuc persecutionem patior? Et rursus: Qui volunt placere in carne, ij cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis persecutionem non patiatur. Verum cum obseruanda legis necessitatem ex diuina autoritate adstruunt, aliquid agere viderentur, si non umbram modo futurorum bonorum ex ipsa quoque Dei institutione lex verus habuisset: si non aliud praenunciatum Pascha & sacrificium,

Ioan. 10.

Ioan. 15.

Luc. 14.

Galat. 3.

DE VARIIS PIORVM

quod & sublati Mosaicis sacrificijs, euerfoque Hierosolymorum templo, in omni loco offerretur: si non aliud sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, alia quoque sacramenta prænunciata fuissent: si non denique veteri testamento tanquam insufficienti abolito, per Hieremiã nouum Dominus promisisset testamentum, cuius gratia culpæ deleterentur, veraque iustitia donaretur: quam præstare non magis lex illa vetus poterat, quam præmissus prophetae baculus, puerum extinctum potuit ad vitam reuocare. Ac de sacrificijs quidem ipsis quid dici potuit apertius, quam quod in Psalmis dictum est, vbi tanquam ingrediens in mundum Christus introducit: Hostiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. In qua voluntate, inquit Apostolus, sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Sed illi egenis seruientes elementis, improvidi gratiæ noui testamenti opes contempserunt, vmbriſque assueti ad lucem venire, & additi futurorum signis, res ipsas oblatas amplecti recuſarunt. Postremo, quid habet excusationis, quod gentiles populos ad regnum iustitiarumque vocari indignè ferebant? An quicquam magnificentius & sapius prophetica eloquia prædixerunt? An illud obscurum: In semine tuo benedicentur omnes gentes? Quid apud Esaiam gentium vocatione celebrius? vbi loquens Pater: Parum est, inquit, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israël conuertendas; ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Hoc verò Christi regnum, toto terrarum orbe diffusum, & inter varias persequutionum tempestates inconcussum, & id quidem à crucis ligno, sicuti Dauid cecinerat, mouere Iudæos, templo præsertim amisso, iure debuit ad illius sceptrâ veneranda. Quis enim omnibus gentibus dominari potuisset, nisi Christus Dei filius, qui omnium rex gentium futurus nunciabatur. Regnavit quidem & magnificè Salomon, sed à Bersabee vsque Dan, regni eius termini designantur. Sed & Assyriorum & Græcorum & Romanorum imperia intra certos prouinciarum limites cõclusa fuerunt, neque suas vires porrigere ad vltiores gētes potuerunt. At Christi regnum & nomē, ait Tertulianus, vbiq; porrigitur, vbiq; creditur.

*Hierem. 31.*

*Ezech. 36.*

*4. Reg. 4.*

*Psalm. 39.*

*Hebr. 10.*

*Genes. 22.*

*Esa. 49.*

*Tertul. contra Marcio. lib. 3.*

*Libro contra Iudæos.*

ditur, ab omnibus gentibus colitur. Cui enim alteri crediderunt Parthi, Medi, Elamite, & qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Asiam, Pamphiliam, Aegyptum, & regionem Aphricam quae est trans Syrenen, inhabitantes quoque Romam & Hierusalem? Item Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersae nationes, & Britannorum inaccessa Romanis, loca Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quae enumerare minus possumus, in quibus omnibus locis, ait, Christi nomen qui iam venit, regnat; utpote cui nullae clausae sunt ciuitatum portae, ante quem serae ferreae sunt comminutae. Ceterum cum hanc regni Christi gloriam Esaias vidisset in spiritu: (Dominum enim, ait, vidi sedentem super folium excelsum & eleuatum, & ea quae sub ipso erant, replebant templum, &c.) paulò post repugnaturam nihilominus Iudaici populi caecam malitiam, iussus est praedicere, Vade, inquit, & dices populo huic: Audite audientes & nolite intelligere, & videte visionem & nolite cognoscere. Excaca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, &c. Et hoc quousque? Donec desoleantur, inquit, ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta, & longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur quae derelicta fuerat in medio terrae. Et de Iudaeorum quidem persecutione fati-

Esa. 6.

Vide Aug.  
contra Fau-  
stū Manich.  
lib. 11. ca. 44

*Quam crudeliter in Dei & Christi cultores per Romanos Imperatores gentilitas seuerit.*

## CAPVT VII.

**Q**uid Gentiles? blandosne fortasse istos & minimè infestos fuisse putabimus? Imò verò quis horum crudelitatem explicet? quis exquisita in Christi seruos supplicia dinumeret? quis martyrum strages, confessorum ludificationes, virginum prostitutiones, & persecutionum locis omnibus ebullientium frequentiam, oratione comprehendat? Namque idolorum à multis templa deseri, ægerrimè diabolus ferens, Romanos Imperatores, quibus ipse adhuc imperabat, in odium implacabile Christiani no-

B. iij minis

DE VARIIS PIORVM

minis inflammavit. Itaque primus Nero (nam ante hunc Claudius & Caius Caligula Iudeis magis infecti fuere, quos ille, ut est in Actis Apostolorum, etiam excedere Roma iussit. Tyberius vero ex ijs quæ ferebantur, Christum admiratus, periculum etiam comminatus est accusatoribus Christianorum.) Igitur Nero, homo supra quam dici potest luxuriosus, vanus, superbus, ac ferox, opera Simonis Magi familiariter uti solitus: cuius sub imperio omnis innocentia, omnis pudor, omnisque libertas laborabat, per incredibilem vitiorum intemperantiam inflammatus, in hunc usque torrentem insanix suæ præceps actus est, ut primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret. Hos ei tollere cura summa fuit, quos primos agnovit; Petrique Apostolorum principis, & Pauli gentium Apostoli nece (altero per ignominiam crucis, altero capitis truncatione sublato) Casarianum gladium cruentavit. Hoc imperante quanta vis persecutionis in Christianos extiterit, Cor. Tacitus gentilis scriptor, non tacuit. Pereuntibus enim addita ludibria, ut ferarum tergis contesti laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma vasti. Plerique in id referuati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis vrerentur. Hortos suos Nero spectaculo huic obtulerat, & Circensè ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo insistent: unde quanquam aduersus fontes & nouissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tãquam non utilitate publica, sed in sæuitia vnus absumeretur. Iure proinde hunc Paulus leonem appellavit, cum Timotheo scribens, gratulatur se Dei beneficio de leonis ore liberatum; quomodo sese & alias cum bestiis Ephesi depugnasse scribit. Quis enim Caucasus, quæ India, quæ Hyrcania tam immanes & sanguinarias bestias aluit vnquam. Etenim ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem fuit, fameque sedata protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cuius vna iussione funditur ater vbique cruor, crudelis vbique luctus, vbique pavor, & plurima mortis imago. Nemo vero Neronis huius immanitatem describere pro merito potest, qui & matrem interfecit, & Senecam familiarem præceptorumque suum ad eligendæ mortis coegit arbitrium, cum ei tamen suas ille opes tradere, seque in otium conferre conaretur. Sed dignum est suæ immanitatis exitum Nero consequitus.

*Actor. 18.*

*Chryso. 1. 4. in 2. ad Timoth.*

*Lib. 15. Vide & Salpi. Senec. hist. lib. 2.*

*Euseb. lib. 2. eccles. hist. ca. 22. 24. 25. 2. Timo. 4. 3. Corint. 15.*

*Boetius lib. 2. de consol. lat. philo. Euiropius lib. 7. de mo-*

gnatus. Nam cum excitatam aduersus se populi seditionem  
 conatur effugere, tertio ab vrbe lapide propria se manu in-  
 terimit, in hec, vt scriptum quidam reliquere, verba prorum-  
 pens, Dedecorose vixi, turpius peream. Sequutus hunc  
 Domitianus est, Neronianæ crudelitatis aliqua portio: qui  
 plurimis in vrbe Roma nobilibus, atque illustribus viris,  
 nullo iure, nullaque ratione trucidatis, innumeris quoque  
 in exilium pulsis, bonorumque direptione multatus, & ipse  
 tandem seueus Christianorum persequutor efficitur: quibus  
 tamen iniuriæ nihil pater eius Vespasianus aut Titus frater,  
 cum esset moderatissimus, irrogarat. Cupiuit interim &  
 ipse Titus Christianam aboleri religionem, qui propterea  
 templum Hierosolymitanum censuit euertendum. Chri-  
 stianos enim ex Iudæis extitisse, radice sublata stirpem fa-  
 cile perituram. Sic igitur Flavius Domitianus per annos  
 quindecim ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus cre-  
 nit, vt iam confirmatissimam toto orbe Christi ecclesiam,  
 datis vbiq; crudelissimæ persecutionis edictis, auderet  
 conuelleri. Neque verò mirum est ab eo delendæ Christi  
 Ecclesiæ tam acre studium fuisse profectum, qui in tantam  
 cæco tumore superbiam elatus sit, vt dominum sese ac Deum  
 vocari, scribi colique voluerit. Hac igitur superbia effera-  
 tus, persecutionem in Christianos agi, secundus à Nerone  
 imperauit. Post hunc suscepit Nerua principatum, cuius  
 vt breue in omnes, ita etiam mite in Christianos imperium  
 fuit. Sub hoc reuocari quicumque ab Domitiano in exilium  
 trusi erant, propriasque recipere facultates ex Senatuscon-  
 sulto iubentur. Tunc igitur & Apostolum Ioannem exilij  
 ærumnis liberatum Ecclesia Ephesina recepit: in qua illum  
 vsque ad Traiani tempora permansisse grauissimi authores  
 tradiderunt. At verò Traiano imperante, rursus perse-  
 quutionis pondus vrgeri cœpit Ecclesiam: illoque seuiente  
 atque immensas quotidie martyrum iugulante cateruas,  
 clarissimum in orbe fuit B. Ignatij martyrium. Sed cum  
 Plinius secundus prouinciam regeret, essetque inter cæteros  
 iudices persequutor datus, atq; damnatis quibusdam Chri-  
 stianis, alijs gradu pulsus, ipsa tandem esset multitudine per-  
 turbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Traianum  
 Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrifi-  
 candi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm coetus

*ribus actis,  
 exituque  
 Neronis.*

*Sexti Aure-  
 lij Victoris  
 Epitome.*

*Sulpit. Seue-  
 rus lib. 2.  
 hist. sacra.*

*Orosius es  
 Sextus Au-  
 relius Victor  
 in Epitome.*

*Hieron. lib.  
 1. contra Iou.*

*Epist. lib. 10*

DE VARIIS PIORVM

antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confederandum disciplinam: quòd verò ad vitæ mores doctrinamque pertineret, nihil aduersus leges Romanas designare; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibere. Huius igitur relatu admonitus Imperator, cum sese erga omnes æquissimum præberet, gloriamq; militarem, alioqui ingentem, placidissima administrandi ratione superaret, rescriptis ilicò lenioribus temperavit editum; Christianos videlicet inquirendos non esse, oblatos verò puniri oportere. Veruntamen hic non iniuria Tertulianus exclamat, O sententiam necessitate confusam? negat inquirendos vt innocentes, & mandat puniri vt nocentes; parcit, & fauit; dissimulat, & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non & absoluis? Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur, in reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est, ad socios & conscios inquisitio vsque extenditur: solum inquiri Christianum non licet, offerri licet; quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum, qui puto iam nò meruit ideò pœnam quia nocens est, sed non requirèdus inuentus. Hæc ille. Quid autem Marcus Antoninus Verus? nònnè præcepto eius graues in Asia & in Gallia persecutiones extiterunt. Testes eæ sunt literæ, quæ à Gallis Lugdunensibus ac Vienneis ad Asianos Phrygiosque fratres conscriptæ, Eusebij historia continetur. Tribulationis, aiunt, nostræ magnitudinem, & gentilium furorem quem in sanctos martyres intenderunt, enarrare sicut est, ne præsentibus quidem ipsi sufficimus, tantum abest vt scriptura complecti possimus. Eoq; tempore per multas Romani orbis prouincias ex acclamatione, & seditione vulgi, persecutiones aduersus Christianos tam crebræ contigerunt, vt locis singulis martyrum multa millia, ad præparatas sibi coronas mitterentur. Nec antea quidem sub Adriano Imperatore persecutio defuerat, qui etiam sese existimans Christianam fidem loci iniuria perempturum, in templo, ac loco Dominicæ passionis, dæmonum simulachra constituit. Sed Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensis pontifex ecclesiæ, Adriano principi Eleusinae sacra inuisenti, librū pro nostra religione tradi:

In Apolog.  
tico.

Euseb. lib. 5.  
cap. 1.

Sulpit. Se-  
uerus lib. 2.  
sacræ hist.  
Hieron. epi-  
stola 84. ad  
Magnū ora-  
torem Ro-  
manum.

tradidit; tantæque admirationi omnibus fuit, vt persequutionem grauissimã illius excellens sedaret ingenium. Quem Iustinus imitatus, Antonino pio & filijs eius, sacroque Senatu, & populo Romano scripsit pro viris, quæadmodum ipse ait, ex omni hominum genere congregatis, & iniusto odio laborantibus, ac non digna patientibus, hoc est Christianis. Cuius ille librum vsque adeò non est aspernatus, vt eo benignus redditus erga Christianos, iusserit nihil eis omnino molestiæ generari, nisi fortè aliquid aduersum Romani regni statum moliri probarentur. Postea verò & Severus in Christianos sæuijt, & Maximinus in sacerdotes maximè & clericos, id est, veræ religionis doctores, pietatisque magistros, persequutionis tempestatem immisit.

Quibus posteriores Decius & Valerianus, quæ nõ aduersus Christianum nomen bella mouerunt? Sed beati Leuitæ Laurentij admirabilem inuicti animi constantiam, nec lenti ignis longo acerboque supplicio, eius temporis potuit persequutio superare: dignumque existimo vt de memorabili hac persequutione interferam, quæ apud D. Hieronymum initio Paulinæ vitæ leguntur. Sub Decio & Valeriano persequutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine scælici cruore damnati sunt, multas apud Aegyptum & Thebaidem Ecclesias tempestas scæua populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti: verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora. Et vt ipse qui ab eo passus est Cyprianus, ait: Volentibus mori, non permittebatur occidi. Deinde vt eius temporis crudelitas notior fieret, quædam memoriæ causa exempla subiungit: quorum alterum est, Perseuerantem in fide martyrem, & inter eculeos laminasque victorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagine antea superasset. Quid autem crudelius (quòd eodem imperante in Sicilia) quàm vt tenellæ virgini Agathæ non modò in equuleo laminæ candentes admouerentur, verumetiam mammilla amputaretur? Vnde is qui torqueri iusserat, Quintianus, meritò audiuit à virgine, Crudelis tyranne, non te pudet amputare in scemina, quod ipse in matre suxisti? Ac Decius quidem propterea se Philippum Im-

B v perato-

Euseb. lib. 6.  
eccles. hist.  
cap. 20.

Vide Euseb.  
lib. 6. eccles.  
hist. cap. 31.  
quomodo  
hæc persequutio  
populũ diuina  
quodam incitante  
sumpserit exordium. Vbi  
etiã de Apollonia refert,  
cõtusis prius  
& effosis  
dētibus, scã-  
mis eam cõsummasse  
martyrium.  
Li. 3. epi. 23.

De hoc Phi-

*lippe Imperatore vide Eusebiū lib. 6. ecclesiast. hist. cap. 25. & 29.* peratorem Christianum, eiusque filium interfecisse docuit, ut suum in Christianam religionē odium persequendis atq; interficiendis Christianis expleret. Ideoque mox ut inuasit imperium, feralia edicta disperfit, plurimosque sanctorum ad Christi coronas suis de crucibus misit. Sub hoc & Fabianus Romanæ Ecclesiæ Episcopus occubuit, & Alexander, Babylasque, Hierosolymorum & Anthiochenæ Ecclesiæ Pontifices, in carcere pro confessione dormierunt. Sed idem haud multo post, quam filium suum Cæsarem legisset, in solo Barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec eius potuerit cadaver inueniri. Valerianus verò, cum per omnē Romani imperij amplitudinē sanctorum sanguinem (quos antea tamen visus erat coluisse) fudisset, à Sapore Persarum rege captus, Imperator populi Romani ignominiosissima apud Persas seruitute consensuit; hoc infamij officij continua dum vixit damnatione sortitus, ut acclius humi, regem semper ascensurum in equum, non manu sua, sed dorso attolleret. Huius in epistola ad Persarum regem meminit Constantinus Imperator, cum demonstrat eorum regum exitus solere esse funestos, qui vesanis erroribus seducti, vnus Dei cultum exterminare contendunt. Horum, inquit, vnum esse reor Valerianum, quem velut quædam virga iracundiæ diuinæ de nostris terris expellens, vestris partibus tradidit puniendum. Nec vnquam, ait Cyprianus, impiorum scelere in nostrum nomen exurgitur, ut non statim diuinitus vindicta comitetur. Ut memorias non teneamus antiquas, & vltiones pro cultoribus Dei sepè repetitas, nullo vocis præconio reuoluamus, documentum recentis rei satis est, quòd sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper sequuta defensio est; ruinis Regum, iacturis opum, dispèdio militum, diminutione castrorum. Nec hoc casu accidisse aliquis existimet, aut fuisse fortuitum putet, cum iam pridem scriptura diuina posuerit, & dixerit: *Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus.*

Leguntur & postea sub Flauio Claudio quorundā celebrata martyria: sed, ut opinor, quoniam eius & imperium exigui temporis fuit, & aduersus Gotthos grauissima belli occupatio, nulla sub eo memorabilis Christianæ Ecclesiæ persecutio numeratur. Nec diu tamē ecclesiam interquiescere passus est inimicus. Namq; Aurelianus Romanum postea conse-

*Sextus Aurelius Victor in Epitome.*

*Euseb. li. 7. eccles. hist. cap. 9.*

*Eutropius lib. 9. & Orosius li. 7. Lib. 3. hist. tripar. ca. 3.*

*In tractatu contra Demetrianum.*

consequutus imperium, cum natura quoque esset ad crudelitatem propensior, persecutionem aduersus Christianos acerbam, impio decreto suscitauit. Nec multo post subita morte mulcratus est, qui de piorum morte censebat: ut ostenderet Deus, quia non cum voluerit tyrannus, cruciamur, sed cum probauerit ipse, recipimur. At vero quis non obstupescat ad Diocletiani principis, Maximiniani que Herculei inauditam & insatiabilem crudelitatem? à quibus persecutionis æstus semel excitatus, per decem annorum spatium, & Ecclesiarum incendijs, & proscriptionibus innocentum, & cædibus martyrum, indefinenter efferbuit. His fauentibus memoriae proditum est, intra dierum triginta spatium, octodecim millia hominum promiscui sexus, per diuersas prouincias trucidata esse, martyrioque coronata. Quid enim mirum? nam & nos ipsi, inquit Eusebius, per Aegypti solitudines cum iter ageremus, oculis nostris inspeximus, ut sedenti pro tribunalibus saeuissimo praesidi offerrentur innumeri populi fidelium, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos capite plecti iubebat. Egre diantur cuncti pariter ad contiguum mœnibus campum, non carnificum nexibus tracti, sed fidei vinculis colligati. Nemo defuit, cum nemo se seruaret: sponte omnes, imò & alter alterum preuenientes, ceruices cadentibus obiectabant: defecerunt carnificum manus, & succedentes sibi inuicem fatigati sunt, hebetata est acies gladij. Videbam, inquit, fessos residere carnifices, vires resumere, animos reparare, mutare gladios, diem quoque non sufficere ad poenam. Hæc vnus ille, & vno loco vidit, breuique tempore. Quid per vnus mensis spatium? quid igitur per annos decem? quid per totam Aegyptum, Mauritaniam, Palaestinam videri potuisse putamus? Et quis enarret quibus apud Arabiam sancti martyres securibus caesi sunt? Aut quomodo quis retexat quæ in Cappadocia gesta sunt, vbi crura frangi, Dei cultoribus iuebantur? Quis Mesopotamiae referat cruciatus? vbi Christianos suilli tergoris more, singulis manibus, pedibusque suspensos, amarissimo fumo subter ingestis, indignis cruciatibus enecabant: alios vero lento igne prope adhibito tormentis longioribus absumebant. Sed & in ipsa Britannia (ut nostris locis viciniore iungamus) quis explicet, quam crudeli membrorum laceratione, distracta sint plurimorum sancto-

Oros. lib. 7.  
cap. 25.  
Beda lib. 1.  
hist. Anglo.  
cap. 6.  
Ado. Vien.  
etate 6.  
Euseb. eccle.  
hist. lib. 8.  
cap. 9.

Beda hist.  
Angl. l. 1. c. 7.

sancto-

DE VARIIS PIORVM

*Lib 2. sacra  
historia.*

sanctorum corpora, quos agone peracto supernæ gaudia ciuitatis exceperunt? Ea tempestate, inquit Sulpitius, omnis ferè sacro martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoq; auidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam magis bellis mundus exhaustus est, neque maiore vnquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. Neque sanè vllam antea persequutionem reperio, aut diffusiore locis, aut immaniore cruciatibus, aut annis diuturniore extitisse. Tametsi enim Diocletianus, secundo persequutionis anno, imperium parpuramque ob ætatem vltro posuerit: atque idem vt Hercules faceret (quanquam is ægrè acquiescere vellet) effecerit: tamen succedens Galerius, cœptam atque incitatam persequutionem ita est prosequutus, vt eam edictis etiam atrocioribus cumularet. A quo Maximinus Cæsar delectus, & in Orientis partibus constitutus, incredibili crudelitate atq; vesania tyrannidem exercuit in pios: hoc nocentior, grauiorq; Christianis, quòd simulachrorum cultui superstitionosissimè deditus esset, magicarumq; professoribus artium, publicos etiam honores decerneret. Huc accessit vt mortuo in Britannia Constantio, summæ mansuetudinis ac ciuilitatis viro, qui cum Galerio imperij societatem post Diocletianum Maximianumque susceperat, Maxentius Herculi filius, qui haud procul ab vrbe in via publica morabatur, Romæ tyrannidem arriperet, ad eumq; sese modum instrueret, vt illum frustra Galerius, Seuero misso, deturbare conaretur. Huius verò Maxentij in omnes quidem, sed maximè tamen in Christianos sese crudelitas exeruit. Nam & grauidæ mulieres nobiles, & infantes paruuli magicis eius artibus, cæde sui crudeliq; scissione seruibant. Quid non multos perpeti coegit libido eius insatiabilis?

*Eusèb. lib. 8.  
cap. 16.*

*Pruden. li. 1.  
contra Symmachum.*

*Aut sponsus fœdera pacta  
Intercepta gemens, diroque satellite rapta,  
Immersus tenebris dura inter vincla luebat:  
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa  
Cœperat impurum Domini oblectare furorem,  
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.  
Plena puellarum, patrumque ergastula seui*

*Princi-*

*Principis: abducta genitor si virgine mussans  
Tristius ingemuit, non ille impune dolorem  
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit.*

Fauore autem erga Christianos simulato, primo persecutiones iussit in Aphrica atque Italia inhiberi: ex quo illud est apud Optatum Mileuitanum; Tempestas persecutionis peracta & definita est: iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Verum non multo post, ficti fauoris atque humanitatis larua deponitur, ostenditur ac profertur inclusa prius ferè rabies, ipsaq; Aphrica cui paulum indulerat, grauissimè ab eo diuexatur. Nec mirum si eam exhauerit, quam delere statuerat. Ideoque eius debellati caesique caput, abs Constantino missum in Aphricam est, ad eam permulcendam: vt quam maximè viuus affligeret, laceratus expleret. Per hos itaq; duos Maximinum atque Maxentium, tanquam vnius spiritu dæmonis actos, in Oriente simul, atque in Occidente sæuitum est.

*Optatum li. 1*

Quid? quod nec Maximianus Herculeus potuit à persecutione desistere? Nam qui antea depositis imperij insignibus, priuatam agebat in Lucania vitam, in hortis illic amoenissimis consenscens, Maxentij filij commotus imperio, tyrannidem & ipse (quanquam infelicitè) exercuit, ac publicus esse perstitit religionis inimicus. Adianxit sese ad persecuendum & Licinius aliquando, quem Constantinus imperij adiutorem acceperat: cuius gloriam inuidiæ facibus agitatus, non perferens, & illi parat insidias, & Christianos, quos antea coluerat, ac i studio persequitur. Ac primum quidem eos è suo palatio exturbat, tum & militia pellit: progressusq; longius, qui se profiterentur Christianos, hos in vincula conijci, atque etiam fame in iisdem enecari iubet. Tandemque & in Episcopos cæterosque sacerdotes, maximeque eos qui clariore habebantur, sæ rabiem crudelitatis extendit. Et ô prodigiosam crudelitatem, omnes qui contaminatis sacrificijs acquiescere noluerant, non tortoribus (quemadmodum eius præcessores faciebant) neque cruciatus ac supplicijs tradi iubebat; sed lanionibus dari, vt eos porcorum more suspensos, publicisque prætereuntem expositos aspectibus, postea superpositos truncis ligneis, perfrusta cæderent, & in partes diuisos, ad piscium pabulum in mare proijcerent. Deniq; qui ecclesias antea edicto construi,

*De Maximini legibus in Christianorum fauore postea latis, & eius exitu, vide Eusebium lib. 9. hist. eccles. cap. 9. & 10.*

*Euseb. lib. 9. hist. eccles. cap. 10.*

*instau-*

DE VARIIS PIORVM

instaurarique iusserat, has rursus ipse subuertit. His igitur  
 vsus ministris diabolus, sœuissimam illam, maximeque diu-  
 rnam persecutionem impleuit. Sed Galerius quidem,  
 qui & ipse ab initio persecutionis incensor ac signifer ex-  
 titerat, cum per annos decem omni genere hominum pro-  
 uincias exhausisset, vlticem aliquando Dei manum horri-  
 biliter expertus est. Nam putrefacto introrsum pectore, &  
 genitalibus dissolutis atque cōsumptis, cum & vermes eru-  
 scaret, neque fœtorem medici ferre, aut medendi rationem  
 excogitare possent, tetrâ sceleribus & infœlicem animam,  
 nec vitæ propriæ patiens, ipse sibi violentus extorsit. Dio-  
 cletianus quoque mortem metuens dedecorôsam, hausto  
 veneno semet necauit. Huius persecutionis, vti & prioris,  
 Optatus Mileuitanus mentionem suis libris inseruit. Duas  
 enim bestias ex illis quatuor quas Daniel de mari ascenden-  
 tes aspexit, huc referens: Prima, inquit, fuit vt leo: hæcerat  
 persecutio sub Decio & Valeriano. Secunda vt vrsus; aliâ  
 persecutio, quæ fuit sub Diocletiano & Maximiano. Quo  
 tempore fuerunt & impij Iudices bellum Christiano no-  
 mini inferentes. Ex quibus in prouincia proconsulari ante  
 annos 60. & quod excurrit, fuerat Anulinus; in Numidia  
 Florus. Omnibus notum est quid eorum operata sit arti-  
 ficiosa crudelitas: sœuiebat bellum Christianis indictum, in  
 templis dæmoniorum diabolus triumphabat. Immundis  
 fumabant aræ nidoribus; & qui ad sacra sacrilega venire  
 non poterat, vbicunque thus ponere cogebatur. Omnis lo-  
 cus templum erat ad scelus, inquinabantur prope morientes  
 fenestras, ignorans polluebatur infantia, à matribus parui li-  
 beri portabantur ad nephas, parentes incruenta parricidia  
 facere cogebantur, alij cogebantur templa Dei viui subuer-  
 tere, alij Christum negare, alij leges diuinas incendere, alij  
 thura ponere. Et hæc quidem Optatus Mileuitanus.  
 Quid nunc memorem apostatam Iulianum? qui cum in  
 hac voce Galilæe vicisti, sagitta ictus occubuerit, nōne bel-  
 lum se aduersum Galilæum gerere etiam postrema voce  
 declarauit? Quanquam & sublati artium liberalium scho-  
 lis, scriptis quoque libris Christianam est religionem infe-  
 ctatus. Nam septem libros, inquit B. Hieronymus, in expe-  
 ditione Parthica, aduersus Christum euomuit potius, quam  
 scripsit: & iuxta fabulas poëtarum, suo se ense lacerauit:  
 tametsi

*Orosius &  
 Euseb. lib. 8  
 hist. eccles.  
 cap. 18. &  
 Sextus Au-  
 relius Victor  
 in sua Epi-  
 tome.  
 Lib. 3. cōtra  
 Parmeni.  
 Daniel. 7.*

*\*Sextus Au-  
 re. Victor di-  
 cit eum ab  
 vno ex ho-  
 stibus, et qui  
 dem surgente  
 eonto percus-  
 sum, dum in-  
 consulto ar-  
 dore nititur  
 ordines ad  
 bellum com-  
 ponere.  
 In epist. 84.  
 ad Magnum  
 oratorē Ro-  
 manum.*

tametsi Nazaraeum nostrum, & ut ipse solebat dicere, Galilaicum, statim in praelio senserit, mercedemque linguae putidissimae, contumelijs perfossus, acceperit: magno profecto Christianorum bono. Nam etsi religionem antea Christianam arte potius, quam potestate fuisse videatur infectatus, magisque ad prophani cultus amplexum honoribus provocare, quam tormentis compellere studuerat: ad Parthicum tamen profecturus bellum, Christianorum sanguinem dijs suis vouit; palam indubie persequuturus Ecclesiam, si victoriam adipisci contigisset. Nam & amphitheatrum Hierosolymis extrui iussit, in quo reuersus Episcopos, monachos, omnesque eius loci sanctos, bestijs etiam arte sauioribus, obijceret, spectaretque laniandos. Quin etiam ab hoc apostata vrbs Gaza, diruto Hilarionis monasterio, & ipsius Hilarionis & Hefichij mortem, precibus datis, impetrauerat: amboque ut quaerentur, toto orbe scriptum erat. Praeterea templorum spoliaciones sacrorumque direptiones vasorum; in quibus & illa ponitur sacrilegi quaestoris insultatio, En quibus vasis ministratur Mariae filio! Quid enim non ausi impij sunt, dum Imperatorem se talem habere laetantur? Nam & Ascalone & Gazae virorum sacerdotali dignitate praeditorum, itemque mulierum perpetuam virginitatem professarum aluos, impij & crudeles ministri dissecuere, hordeo completas porcis escam obiecere: aliaque eiusmodi complura dominante sacrilego Iuliano, ab impijs perpetrata in pios, terra marique feruntur, quae recensere prolixius, nostri non est instituti. Eutropius sane scriptor eorum temporum, qui se etiam Parthicae expeditioni tum interfuisse testatur, Iulianum hunc scribit Christianae religionis, nimium infectatorem fuisse: perinde tamen, ait, ut cruore abstineret; nimirum quod nullum ab eo decretum extiterit de fundendo passim vbiq; sanguine Christianorum. Nam Ioannem & Paulum fratres Romae claros, eius familiaritatem constanter recusantes, aliosque nonnullos ob Christianae fidei professionem, iussit interfici. Illud quoque de Iuliano D. Hieronymi breue testimonium est. Iulianus proditor animae suae, & Christiani iugulator exercitus, Christum sensit in Maedia, quem primum in Gallia denegarat; dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos.

Ruffinus li.  
10. eccles.  
hist. cap. 32.  
33. 35. 36. &  
Orosius li. 7

D. Hierony.  
in vita S.  
Hilarionis.

Theodore. li.  
3. hist. ca. 6.  
et 7. Et hist.  
trip. lib. 6.  
ca. 4. & seq.  
Lib. 10. Breuiarij sui de rebus gestis Romanorum.

In epist. ad Heliodorum.

QNA

DE VARIIS PIORVM

*Quae per irruptiones Barbaricas piorum fuerint persecutiones.*

CAPVT VIII.

**Q**Væ verò & aliunde sæpius perturbatio rerum extiterit, quas & ab incurfantibus in Romanos barbaris, persecutiones & clades Christi Ecclesia pertulerit, cū & Imperatores haberet Christianos, D. Hieronymus commemorauit in ea epistola quam scripsit ad Heliodorum Episcopum: Horret animus, inquit, temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quòd inter Constantinopolim & alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur, Schytiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros, Dalmaciam, cunctasque Pannonias Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora his beluis fuere ludibrio? Capti Episcopi, interfecti presbyteri, & diuersorum officiariorum. Subuersæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ. Barbaricæ eiusmodi irruptionis ac sæuitiæ, & Ecclesiastica meminit historia, multosque à feris illis hostibus sacerdotes captos & afflictos commemorat. Auersos quippe à religione veræ maiestatis animos, & alioqui salutiferæ veritati satis infestos, odium Romani nominis, ad crudelitatem vehementius accenderit. Nec potuit tamen in hac feritate sæuentium Barbarorum, impedi diuinæ vocationis effectus. Fit mira in non paucis conuersio, & Christi sacerdotibus, in sua captiuitate, prædicatam veritatem vitæ probitate miraculisque firmantibus, iuxta Prophetæ vaticinium, qui cœperant, capiebantur; qui sæuierant, protegebant; qui vt fieri leones, alieni fines imperij violenter irruperant, vt oues mansuetissimæ, Christi Ecclesias introibant. Sic enim per Esaiam scriptum erat: Et tenebunt eos populi, & adducet eos in locum suum, & possidebit eos domus Israël super terram Domini in seruos & ancillas: & erunt capientes eos qui se cœperant, & subiciet exactores suos. Hoc ita prorsus euenisse diuus quoque Prosper declarat eiusmodi verbis: Quidam, inquit, Ecclesiæ filij ab hostibus capti, dominos suos Christi euangelio manciparunt: & quibus conditione bellica seruibant, iisdem fidei magisterio præfuerunt. Ita nihil obistere diuinæ gratiæ potest,

*Epist. 3.*

*Tripur. hist.  
lib. 2. cap. 21*

*Esa. 14.*

*Ibidem.*

*Lib. 2. de  
vocat. gen-  
suum, ca. 33.*

poteft, quò minus id quod voluerit, impleatur: dum etiam discordiæ ad vnitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur: vt ecclesia vnde metuit periculum, inde fumat augmentum. Ex his verò Romani nominis & Ecclesiæ simul Christianæ hostibus, Radagaisus eo tempore, lōgè omnium immanissimus fuit. Hic imperante Honorio, supra ducenta Gotthorum milia secum trahens, repentinæ incurfionis impetu, totam Italiam inundauit. Ob hoc profectò formidabilis, quòd in hac multitudine Barbarorum indomitaq; virtute, paganus & Schyta esset, omnemque Romani generis sanguinem, dijs suis propinaturum sese deuouisset. Quem proinde hostem Italiæ iam sinu receptum, Romanisque arcibus accernicibus imminētem, si vincere & irrumperè contigisset, cui is omnino pepercisset? In qua persona Deum timeret? cuius non sanguinē effusum, cuius pudicitiam vellet intactam? Sed & paganorum tunc omnium fit in vrbe concursus; hostem adesse cū virium potentia, tum maxime deorum præsidio potentem: Vrbem autem ideo destitutam & maturè perituram, quia deos & sacra perdiderit. Magnis igitur querelis passim agebatur, & continuo de repetendis sacris celebrandisque tractabatur. Feruebant vrbe tota blasphemix, Christi que nomen vulgò, tanquam lues aliqua præsentium temporum, probris grauabatur. Quæ non hic persecutione premebantur corda piorum, quando & cōmunia mala Barbaricæ feritatis vrgebant, & ea Christi nomen veraque religio accersisse dicebatur? Sed tantis in angustijs, citò adfuit diuina benignitas. Quæ etsi non omninò violentia pios liberauit, tamen blasphemiarum tela, quæ in cōrdibus grauiore vulnere, quàm in corporibus gladij figebantur, in hostem nominis Christiani, mira rerum conuersione retorfit. Etenim Gotthorum pagano exercitu, diuina vltione euidenter, in aspero Fezulani montis iugo, & vrgente vndique timore concluso, & illic fame sitique confecto: alter Christianus, sed hereticus, Alarico duce, trepidam urbem obsedit, turbauit, irrupit: dato prius tamē præcepto, vt si qui in sancta loca, præcipueque in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos securosque esse sinerent. Sic nimirum iustus humani generis moderator Deus, perire paganus voluit hostem, & Christianum præualere permisit, vt pagani blasphemantes

*Gotthorum  
paganorum  
incurfio.*

*Paulus Oro-  
sius lib. 7. c.*

*Paulus dia-  
conus lib. 3.*

*August. lib.*

*5. de ciuit.  
cap. 23.*

DE VARIIS PIORVM

Orosius lib. 7  
cap. 39.

mantefque Romani, & illo confunderentur perditio, & hoc punirentur immiffio. Tunc etiam Christianæ religionis beneficia ingrata fenfit gentilitas, quâdo eius simulatione defenfa eft in plurimis, teſte D. Auguſtino, cuius pernicioſam hominum generi profeſſionem paulò antè clamatibat, hoſtem enim Chriſtianum cum in cæde mitiorem, tum erga templa Chriſtiana ſacraq; omnia religioſum diuinus timor effecerat: quod vel vno hoc exemplo clariffimè demonſtratum eſt, ad magnam confuſionem noſtræ ætatis ſacrilegorum. Diſcurrentibus enim per urbem Barbaris, fortè vnus Gotthorum, idemque potens & Chriſtianus, ſacram Deo virginem eamq; prouectam, in quadam Eccleſiaſtica domo repperit: cumque ab ea aurum argentumque honeſtè expoſceret, illa fideli conſtantia eſſe apud ſe plurimum & mox proferendum ſponſit ac protulit; dumque expoſitis opibus, attonitum Barbarum magnitudine, & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vaſorum qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad Barbarum ait, Hæc Petri Apoſtoli ſacra miſteria ſunt, præſume ſi audeſ, de factò tu videris: ego quia defendere non valeo, nec tenere audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis timore Dei, & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit: qui continuo reportari ad Apoſtoli Baſilicam vniuerſa, vt erant vaſa, imperauit: virginem etiam ſimulque omnes qui ſe adiungerent Chriſtianos, eodem cum defenſione deduci. Ea domus à ſanctis ſedibus longo vt ferunt, & medio interiectu urbis aberat. Itaque magno ſpectaculo omnium, diſpoſita per ſingulos ſingula, & ſuper capita elata, palam aurea & argentea vaſa portantur, exertis vndique ad defenſionem gladijs pia pompa munitur. Hymnus Deo, Romanis Barbariſque concinentibus, publicè canitur. Perſonat latè in excidio urbis ſalutis tuba, omneſque etiam in abditis latentes, inuitat ac pulſat: concurritur vndique ad vaſa Petri, vaſa Chriſti: plurimi etiam pagani Chriſtianis profeſſione, ſi non fide admifcentur: & per hoc tamen ad tempus, quò magis confundantur, euadunt. Pudet modò ad noſtra tempora reſpicere, quando hoſtis non barbarus, ſed domeſticus; non paganus, ſed profeſſione Chriſtianus, tum ſanctè ſe agere per ſummam cecitatem arbitratur, cum ſacra omnia vaſa & inſtrumenta quibus Chriſto ſeruitur rapuerit, prophanarit, cõſumpſerit.

Sed

Sed de hac persecutione suo loco. Hunnorum porro crudelitas, & ardens in pios, vbi victores euaserant sauitia, qua possiet oratione sufficienter explicari? Namque ab vltima Moeotide inter glaciale Tanaim & Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, subito eruperunt Hunnorum examina omni pernicie atrociora, quae pernicibus equis huc illucque volitantia, caedis pariter ac terroris cuncta complebant. Aberat tunc Romanus exercitus, & bellis ciuilibus in Italia tenebatur: quo magis eueniebat, vt extremum instare periculum Romano nomini videretur. Hanc gentem Herodotus refert sub Dario rege Moedorum, viginti annis Orientem tenuisse captiuum, & ab Aegyptijs atque Aethiopicibus annum vectigal exegisse. Insperati igitur illi vbique aderant, & famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non aetati, non vagienti miserebantur infantiae. Gogebantur mori, qui vix dum viuere coeperat; & nescientes malum suum, inter hostium manus & tela ridebant. Cum autem ea gens duce haberet Attilam, hominem crudelem in supplicijs, auarum in rapinis, superbum in contumelijs, verae religionis inimicum, gentilibusq; superstitionibus implicatum, incredibile est, quantas quamque multas, tum Orientis, tum Occidentis prouincias impetu protriuerit. Concordiam incendio absumpsit, Aquileiam funditus euerit. Ticinum & Mediolanum regias vrbes excidit. Sed & Mantuam & Brixiam, Cremonam, Bergomum & Rauennam pari clade afflixit. Remis beatum Nicasium episcopum propter Christum interficiens, martyrem fecit. Coloniae undecim milia virginum, dum intuitu religionis quam oderat, crudeliter extinxit, magnifice apud posteros illustrauit. Quid autem Romae, humanis in rebus ab immaniissima sua crudelitate, quid in diuinis & sacris, ab impia prophanatione, immunè reliquisset, nisi eum diuinitus perterrefactum Leonis Pontificis remouisset oratio? nam quid alibi facere soleret, vrbs quoque Metensium experiri coacta est: in qua populus fidelis trucidatus, sacerdotes ante sacrosancta altaria gladio perempti, ipsaque postremo vrbs incendio tradita est. Solum in ea ferunt beati Stephani oratorium à flammis illaesum remansisse, ipsius qui in eo colebatur precibus mirabiliter conseruatum. Sed Attila formosissimae po-

*Hunnorum  
gentilium  
persecutio.*

*Paulus diaconus  
lib. 5. & Bedae  
histo. Anglo. lib. 1. ca.*

*Otto. Frisingensis  
lib. 4. Chronicorum  
cap. 28.*

*Vide Chroni-  
Sigeberti.  
Gregorius  
Turonensis  
hist. lib. 2.  
cap. 7.*

stremò captus amore puellæ, dum ea gratia luxu diffluit, conuiuiaque vinolentus agit, sanguine proprio è naribus erumpente præfocatur. Nempe dignus erat suo vt sanguine obrutus interiret, qui multorum adedò populorum sanguinem inexplebili crudelitate sitierat. Gentem autem Hunnorum credo equidem, dum Christianis misceretur, aliqua saltem ex parte, Christianam rãdem euasisse. Nam & tempore Iustiniani (vt alia taceam) Hunnorum rex, eorum qui circa Bosphorum incolebant, cum venisset Constantinopolim, Christianus effectus memoratur. Veruntamē Sigiberto rege, cum in Gallias iterum irrupissent, atque aduersus eos, exercitus non mediocris esset comparatus, hunc illi per magicas artes (quibus ob gentilem superstitionem familiariter utebantur) varijs ludificatum imaginibus superarunt, solaq; regis liberalitate victi, scedere inuito recesserunt. Testis quoq; est venerabilis Beda, Hunnos ætate sua cum alijs compluribus Germaniæ populis, adhuc paganos extitisse. Sunt, inquit, Frizones, Rugini, Daci, Hunni, antiqui Saxones, Boruchtuarij, sunt & alij per plures ijsdem in partibus populi, paganis adhuc ritibus seruietes. Cum autem initio relicta Schytia, Pannoniam (quæ modò Hungaria nuncupatur) inuasissent, eamque per annos ferè ducentos tenuissent, atq; opibus impleissent, à Carolo Magno octennij tandem oppugnatione deleti sunt, perniciosi semper, & reipub. & Christianæ Ecclesiæ hostes. Sic verò Attila duce in Pannoniæ regno viribus creuerant, vt adiunctis sibi Marcomannis & Quadis (qui hodie sunt Bohemi & Morau) quingentorum milium militum castra conficerent. Illinc igitur erumpentes, Italiam Galliamque maximis cladibus affecere. Hunnos autem quidam Auares vel Anaros postea nominatos ab suo rege scribunt; quo sub nomine gens illa Ecclesijs infestissima legitur extitisse. Fuit Longobardorum etiam huius orbis in locis, probè nota crudelitas. Namque illi relicta Pannonia, cum vxoribus & liberis, Italiam (quò illos Narses quidam Exarchus, vt Sophiæ Augustæ Romanisq; eius imperium recusantibus, negotium facesceret, commendata fertilitate loci & opibus inuitarat) ingressi, eamque per annos complures prædabundi peruagantes, spoliatis ecclesijs, & sacerdotibus interfectis, magna ex parte in suam rede gere potestatem, crebroq; in Gallias irrum-pentes,

*Paulus diac.  
lib. 16. & la-  
tius Zona-  
ras tom. 3.  
Gregorius  
Turonensis  
lib. 4 cap. 29*

*Beda lib. 5.  
histo. Anglo.  
cap. 10.*

*Isidorus lib.  
9. Ethimo.*

*Ado. in sine  
comment. &*

*Regino lib.  
2. Chroni.*

*Longobardo-  
rum pagano-  
rum in Chri-  
stianos seui-  
tia.*

*In Pontif. de  
Ioanne Papa  
3.*

& Quadis (qui hodie sunt Bohemi & Morau) quingentorum milium militum castra conficerent. Illinc igitur erumpentes, Italiam Galliamque maximis cladibus affecere. Hunnos autem quidam Auares vel Anaros postea nominatos ab suo rege scribunt; quo sub nomine gens illa Ecclesijs infestissima legitur extitisse. Fuit Longobardorum etiam huius orbis in locis, probè nota crudelitas. Namque illi relicta Pannonia, cum vxoribus & liberis, Italiam (quò illos Narses quidam Exarchus, vt Sophiæ Augustæ Romanisq; eius imperium recusantibus, negotium facesceret, commendata fertilitate loci & opibus inuitarat) ingressi, eamque per annos complures prædabundi peruagantes, spoliatis ecclesijs, & sacerdotibus interfectis, magna ex parte in suam rede gere potestatem, crebroq; in Gallias irrum-pentes,

pentes, & magnos Christianorum exercitus fuderunt, & ardenti vbiq; studio, quantum in ipsis situm fuit, religionem oppressere. Cladis per eos futuræ, haud parua significatio præcesserat, simul in eo, quòd beatus Eutichius martyr, Redempto Ferentinæ ciuitatis Episcopo, sese in quiete exhibens, ter illud protulerat, finis venit vniuersæ carnis: simul quòd terrifica in cælo signa (vt hastæ, vt igneæ ab Aquilonis partibus acies) visa prius multis fuissent. Et mox, inquit B. Gregorius, effera Longobardorum gens, de v- *Lib. 3. Dialo.*  
 gina suæ habitationis educta, in nostram ceruicem grassata *cap. 37. &*  
 est, humanumque genus, quod in hac terra præ nimia mul- *38.*  
 titudine, quasi spissæ segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatæ vrbes, euerfa castra, concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt monasteria virorum atque mulierum. Gentis huius tanta crudelitas erat, vt (præter eas quas quisque cædes faceret) si quisquam erat Christianus ab alijs comprehensus, læti omnes ad spectaculum mortis concurrerent. Multi igitur sub his martyres effecti, coronas cælestes meruerunt: propterea quòd mortem maluissent fortiter optetere, quam sacris eorum sacrilegis, animas suas inquinare. Quorundam meminit D. Gregorius: Nam ante hos, in- *Dialo. lib. 3.*  
 quit, fermè annos quindecim, sicut hi testantur qui interesse *cap. 27. &*  
 potuerunt, quadraginta rustici à Longobardis capri, car- *28. Et lib. 4.*  
 nes immolatiuitas edere compellebantur. Qui cùm valde re- *cap. 21. & 21*  
 sisterent, & cibum sacrilegum contingere nollent, cœpere Longobardi qui eos tenuerāt, nisi immiolata comederent, mortem eis minitari. At illi æternam potius vitam, quàm præsentem ac transitoriam diligentes, firmiter persisterunt; atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. Quid autem hi, nisi veritatis martyres seu testes fuerunt? qui ne vitium comedendo, suum conditorem offenderent, gladijs Barbarorum, vitam profundere maluerunt? Eodem, inquit, tempore, dum ferè quadringētos captiuos alios Longobardi tenuissent, more suo, Capræ caput diabolo immolarunt, ac circumcurrentes, nephando carmine dedicarunt. Cùmque illud ipsi prius submissis ceruicibus adorassent, eos quoque quos ceperant, pariter adorare compellebant. Sed ex his maxima multitudo, magis eligens moriendo ad vitam immortalē tendere, obtēperare iussis sacrilegis noluit, & ceruicem quam semper creatori flexerat, creaturæ in-

DE VARIIS PIORVM

clinare contempsit. Vnde factum est, vt hostes qui eos ceperant, graui iracundia accensi, cunctos gladijs interficerent, quos erroris sui participes non haberent. Quanquam quis dubitet, procedente tempore ex ijs quamplurimos, Italica pietate ad Christum esse conuersos? Nam & Rachi Longobardorum rex, Perusinam obsidens atque oppugnans ciuitatem, flexus oratione Pontificis Zacharię, non modò est ab oppressione reuocatus; verumetiam clericus effectus, vnà cum vxore & liberis, monasticum habitum, regio deposito & contempto, suscepit. Nec rarò sanè Longobardi Græcorum Imperatorum sæuitia, pro salute Romanorum Pontificum repugnauerunt. Horum in Italia regnum, cum aliquot seculis opibus armisque valuisset, Romanis Pontificibus Galliarum reges implorantibus, vt aduersus Longobardos ecclesię laboranti succurrerent, Pipinus & Carolus Magnus, ingenti virtute contriuerunt. Ac fuere quidem, qui Carolo suggererent, vt omnes Italia Longobardos expelleret; verum id minus tutum esse visum est, quòd multis Italię populis, sanguine & affinitate iungerentur. Itaque Carolus & Leo tertius censuerunt, ibi tantummodo Longobardorum nomen relinquendum esse, vbi ea gens præcipue sedem habuisset. Sed & Normanni Christiani nominis ipsi quoque contemptores & Pagani, cum è septentrionis locis, hoc est, Dania, Suetia, Norvvegia erupissent, per annos quadraginta, Franciam cædibus & rapina vexarunt. Bellandi enim causas duas sequebantur, alteram quòd nouas sedes in gallijs quærerent, alteram quòd Christi fidem (quæ tum primum in Daniam & Suetiam penetrauerat) infestis animis persequerentur. Quorum sæua crudelitas, tantum omnibus terroris incussit, vt diu nemo reperiretur, qui exercitum grassabundis opponeret. Itaque ingenti classe cõparata, ostijsque Ligeris fluminis occupatis, irruptione repentina, Nannetem urbem inuadunt atque expugnant, & Pontificem illic Guimardum, ipso die Sancto Paschæ, cum Baptismum, ex more celebraret, intra Basilicam impiè iugulant, multosque simul è clero perimunt. Ac vastatis locis circumiectis, ciuitatem Andegauensem primùm, deinde Turonicam occupant, in qua templum Diui Martini celeberrimum, incendio deformatum est. Horum quoque incurfionibus, I sodium, Traiectum, Tongii: tum Colonia Agripina,

*In lib. ponti.  
de Zacharia.*

*Ado Rie-  
nensis in cõ-  
mentarijs æ-  
tate 6.  
Platina de  
Leone 3.*

*Normanno-  
rum Paga-  
norum per-  
sequutio.*

*Vide Chroni-  
ca Regmonis  
lib. 2 qui vi-  
xit abbas ea  
tempestate.*

pina, Bonna, vicinæque arces complures, effusis incendiorū flāmis, periere. Castris postea sedibusq; Louanij fixis, continuis incursionibus mirè vicina regna fatigarunt. Quo loco relicto, ad delendam præcipuè Parisiorum urbem, omninoque ad extinguendam pietatis lucem sese compararunt. Sed eam ciuitatem, nullus hostium labor, nulla industria subiugauit, nec postea quidem, quàm id tertio vehementer essent aggressi. Apud Senones verò monasterium Floriacense, cœnobitis interfectis, diripiunt, ignique consumunt. Picardia, Veromandiaque penetratis, Neomagum capiunt, atque inde prouecti Gemeticum per Sequanam, nongentorum monachorum piam euertūt domum. Quid plura? Abducunt passim (quocunque eos furor rapit) in seruitutem atq; ad stuprum virgines: nulli non templo ignes iniiciunt, ferroque ac flammis, fœda post se omnia lugendaque relinquunt. Ab his in Gallia Normandia nominatur (cùm illic præcipuè pars magna cōsedisset) quæ prius vocabatur Neustria. Et Galliarum quidem clades per incurfantes Barbaros acceptas, suo quoque tempore D. Hieronymus deplorauit in epistola ad Agerutiam. Innumerabiles, inquit, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemmani, & ô lugenda res, hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum eis. Maguntiacum nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in ecclesia multa hominum milia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti: Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Aquitaniæ, nouemque populorum Lugdunensis & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes populata sunt cuncta; quas & ipse foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lachrymis Tolosæ facere mentionem, quæ vt hucusque non rueret, sancti episcopi Exuperij merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ iamiamq; peritura, quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis Cymbricæ; & quicquid alij semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Cætera taceo, ne videar de Dei desperare clementia. Olim à mari Pontico vsque ad Alpes Iulias non erant no-

*Alij bis op-  
pugnatam  
ciuitatē Pa-  
risiensem.  
Vide Vincen-  
tium in sua  
historia &  
annales Frã-  
ciæ.*

*Epist. i. 3.*

DE VARIIS PIORVM

stra quæ nostra sunt. Et per annos 30. fracto Danubij li-  
mite, in medijs Romani imperij regionibus pugnabatur.  
Aruerunt vetustate lachrymæ. Præter paucos senes, omnes  
in captiuitate & obsidione generati, non desiderabât quam  
non nouerant libertatem. Quis hoc credet? quæ digno ser-  
mone historia cõprehendit? Romam in gremio suo, non  
pro gloria, sed pro salute pugnare? Imò ne pugnare quidẽ,  
sed auro, & cuncta supellectile vitam redimere? Quod non  
vitio Principum, qui vel religiosissimi sunt; sed scelere se-  
mibarbari accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus,  
armauit inimicos.

*Quæ persecutiones apud Persas extiterunt.*

CAPVT IX.

*Augst. lib.  
1. de consen.  
Euange. cap.  
32.  
Amb. lib. 2.  
in Lucã cap.  
5. lib. 3. Tri-  
part. histor.  
ca. 1. Et Theo-  
dor. lib. 1. ca.  
22.  
Lib. 10. Ec-  
clesiast. hi-  
stor. cap. 9.  
¶ 10.*

**A**T quoniam Christiana religio minimè sese intra  
Romani Imperij fines continuit, sed ad Barbaras  
quoq; gentes, & illius vel maximi Imperij asper-  
natrices penetrauit; vt latius Roma præesset religione di-  
uina, quam terrena dominatione præfuerat, enarrare lon-  
gum foret, quas illic persecutiones pij perpessi sint, vel re-  
gum adhuc infidelium iussu, vel furore populari. Vt enim  
Indos Iberosque Caucasios præteream, qui Constantini  
tẽpore Christiani dogmatis rudimenta susceperant, magna  
Persarum reges tyrannide in Christi membra sæuierunt.  
Cum enim procedente tempore, ecclesias & sacerdotes,  
omnisque ministros ordinis habere cœpissent, neq; id Magi  
ferre possent, qui Persarum religionem, velut quædam sa-  
cerdotalis tribus, per successionẽ generis ab initio sibi com-  
missam, acceperant; excogitata sunt ad nouam religionem  
exturbandam molimina. Accedebat autem ad Magorum  
conatus Iudæorum etiam industria, quam facillè naturale  
in Christianos odium acuebat. His igitur adnitentibus in-  
stituitur apud Saporem regem accusatio, aduersus Simeonem  
Archiepiscopum Seleuciæ & Ctesiphontis, ciuitatum  
in Perside regalium, tanquam is regia consilia Romanis ho-  
stibus detegeret, regnoque toti perniciosus esset. Qua acu-  
satione credulis nimium auribus à rege suscepta, non modò  
Christianos exactionum oneribus Persæ premunt, verum-  
etiam sacerdotes ministrosque Dei gladijs minacibus peri-  
munt, ecclesias subuertunt, vasa omnia sacra diripiunt, Si-  
meonem

meonem comprehensum ferroque vinctum ad regem vsque perducunt. Cuius quidem, quid opus est multis enarrare inuictam fortitudinem? quando neque blandimentis promissionum, neque tormentorum mortisque minis adduci potuit, vt Solem, quem pro Deo Persæ colunt, adoraret? sed & cum multos haberet alios suæ constantiæ imitatores, omnes ad subeundam pro Christo mortem cohortabatur, eiusmodi sermonibus. Vitam quidem esse veram, sic mori; mortem verò tetram atque manifestam, Deum negare: sed & paulò post, etiam nullo perimente, vtrò mortem venturam esse. Nimirum quod Cyprianus ipse sic dixit, Si mortem possemus euadere, meritò mori timeremus: porrò autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de diuina promissione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis; nec vereamur occidi, quos constat quando occidimur coronari. At regis furor eò quoque postea progressus est, vt per vniuersam Persidè occidi iuberet eos, qui se profiterentur esse Christianos. Itaque sanguis vbique piorum fundebatur, dum alios quidem Magi celatos reperirent, alij verò prodirent vtrò, seseque ad mortem offerrent, ne tacurnitate Christum negasse viderentur. Denique scriptum reperitur, eorum qui tunc martyrio coronati sunt virorum ac mulierum, fuisse milia quasi sedecim. Multo quoque post regnate Idigerde, & mox rursus filio eius Gororane succedente, varijs suppliciorum generibus, pios excruciauit Gentilium in Perside ferocitas, commota subuersione Pyraei (sic enim ipsi flammæ delubrum vocant) quam Audæ, seu vt alij Abdæ episcopi, magnus aduersus impietatem zelus effecerat. Iussus enim quod subuerterat reedificare, noluit, quiduis perpeti paratior, quam id committere, vt impiam superstitionem honorasse videretur. Tale enim quidpiam existimabat esse, edificare templum igni, quale ipsum ignem adorare, hinc igitur tempestas sumens initium, sæuissimè ferocissimeque in pietatis cultores intumuit. Quis autem supplicia memorans non horrescat? Aliorum enim manibus, aliorum dorsis, pelles detraxere; aliorum capita à fronte ad mentum vsque nudarunt cute. Multos lacubus accuratè obturatis, manibus pedibusque ligatis, incluserunt, collecta eòdem glirium multitudine, qui corpora cum alius non sup-

*Lib. 4. epist. 6.*

*Lib. 3. Tripart. histor. cap. 2. Theodoretus lib. 3. cap. 39. & lib. 10. Tripart. cap. 30.*

DE VARIIS PIORVM

*Prosper par.*  
*3. de promif.*  
*& predic.*  
*cap. 34. Vide*  
*& lib. 11.*  
*Tripart. hift.*  
*cap. 15. Et*  
*August. lib.*  
*18. de ciuita.*  
*cap. 52.*

*Nicephorus.*

peteret cibus, depaſcerentur. Trigintaque iugiter annis fluctuatio illa dura permansit in Perſide, ab ipsis Magis velut procellis quibusdam agitata. Meminit D. Prosper ſauientis ſuo tempore perſequentionis in Perſide, quæ (vt arbitror) ipſa eſt quam modo paucis attigimus. Noſtris, inquit, temporibus apud Perſas perſequentionem factam nouimus, imperate Arcadio religioſo & Chriſtiano principe, qui ne traderet ad ſe confugientes Armenos, bellum cum Perſis conſecit: eo ſigno. Antequam potitus victoria, iam coeuntibus in præliū militibus, aereæ cruces in veſtibus paruere. Vnde etiam victor auream monetam cum eodem ſigno crucis fieri præcepit, quæ in vſu totius orbis, & maxime Aſia, hodieque perſiſtit. Hæc apud D. Proſperum. Diu verò Perſidis reges (tametsi Chriſtianū ſubinde aliquem interceſſiſſe non ignoremus) tenebras Gentilitatis amaauerunt, ex iſſiq; tum intra regni proprii fines, tum extra, Chriſtianiſ graues moleſtiq; fueſe. Namque & Anaſtaſio imperante Cabades, Chriſtianos quosdam qui erant in Perſide, poplite enervauit, qui poſtea nihilominus rectis greſſibus ambularunt. Extremis etiam Phocæ Imperatoris ſeu tyranni potius, & Heraclij primis temporibus aduerſus Romanam repub. Perſæ grauiffima bella gerentes, rege impiſſimo Coſdroa multas breui prouincias, ipſamq; adeò Hieroſolymā, caſis (vt à quibusdam eſt traditū) nonaginta Chriſtianorū militibus, Romanis eripuerunt: & diſiſcientes Eccleſias, ſacraq; omnia indignis modis prophanātes, inter ſacrorū ornamenta locorum, etiam vexillum Dominicæ crucis auexerunt; quod annis circiter quatuordecim, poſtquam veniſſet in poteſtatem Perſarum, Heraclio imperate receptum eſt. Huius enim Imperatoris egregia virtus in obterendis Perſis per ſex annorū ſpacium mirabiliter enituit. Sanè quia religionis Chriſtiane ſuperbiſſimum hoſtem Coſdroam vinci poſſe non exiſtimauit, niſi crucifixi præſidijs; in quibus ſpem tantam ille poſuerat, quantum aliud nomen id inſectari videbatur. Quid enim illius rabie hoſtis inſolentius? Nam cum ad eum Heraclius miſiſſet, qui pacem peterent, his intolerabili faſtu reiectis, reſpondit non ſe Romanis parciturum prius quam crucifixum, (quem Deum eſſe faterentur) abnegaffent, Solēmq; Perſarum Deum adorarent. Poſtea quoque grauiffimis licet prælijs fractus, cunctarum eccleſiarum

rum thesauros diripuit, Christianosque Nestorij dogma cogit amplecti: non quòd vsquam probaret professionem nominis Christiani, quam Nestoriani quoque tenebant; sed quòd eum quem crucifixum audiret, pro Deo coli ferre non posset. Eo fiebat vt Nestorianos fauore maiore prosequeretur, à quibus Christus verus esse Deus non creditur. Sciebat deinde Christiano Imperatori, istiusmodi iniurijs animam percelli grauitè atque commoueri. Sed dignus eum aliquando vitæ finis exceperit. Siquidem à proprio filio comprehensus, tenebrisque horridum in locum, quem sibi ipse ad thesauros recondendos parauerat, coniectus, & grauibus subditorum affectus contumelijs, quintum post diem telis confossus interiit. Tum demum laxata sunt Christianis vincula, tum Zacharias Hierosolymitanus Antistes, cum viuificæ crucis ligno, soluta captiuitate remissus est. Temporibus verò Constantis eius, qui ab Heraclio quartus imperauit, Regis Persarum vxor, nomine Cæsarea, propter Christianæ religionis amorem Constantinopolim priuato habitu paucisque comitata venit. Ibiq; cælestibus imbuta præceptis, & baptismi gratiam consequuta, cum illam interim deprehensa profectioe maritus ab Imperatore peteret, seruosque qui reducerent, mitteret, negauit ea se redituram esse ad maritalem thalamum, nisi & maritus Christiana religione similiter imbueretur. Cui cum is acquiesceret, ipse quoque cum 60. virorum milibus Constantinopolim venit, Christianusque illic cum vniuersis effectus est.

*Quas persecutiones apud Gothos aliosque populos nonnullos Christiani perpessi sint.*

## CAPVT X.

**G**ens præterea Gotthorum copiosissima fortissimaq; potentissimis quoque regibus olim formidabilis, non alienis modò in regnis, quo armorum vi penetrauerat; verumetiam suis in sedibus tenella adhuc ecclesiæ Christianæ germina infestis persecutionum turbinibus è medio dissipare conata est. Siquidem Athanaricus Gotthorum rex, Christianos in sua gente crudelissimè est persecutus, multosque Barbarorum ob fidem quæ iam illic radices egerat, dum interfecit, ad martyrij coronam euexit. Plurimi verò fuga sibi consulentes, in Romanum solum concesserunt;

*Paulus Orosius lib. 7. cap. 2.*

NON

non trepidi, velut ad hostes; sed certi, quòd ad fratres, patria fortiter pro Christo contempta. Illorum autem tanta fuit in pios crudelitas, adeoque Ecclesiæ Christi signa & arma infesta; vt quod de Gog & Magog diuinis in litteris scriptum legitur, ad Gotthos & Mauros, Getas & Massagetas, quidam olim referendum putauerint. Per quorum inquit Pro-  
 sper, sæuitiam, ipse iam diabolus ecclesiam vastat, & tunc amplius persequetur. Porrò Athanaricum hunc, opinor esse Gothiæ regem illum, què D. August. ait in sua gente Christianos crudelitate mirabili persequutum esse, cum illic non essent nisi catholici. Non arbitror hic prætereundam nobis Britanniam, quæ non solum Diocletiani Maximiniq̃ue tempestate (vt antea significauimus) vehementer concussa est; verum & postea Martiano Valentinianoque Romanum administrantibus imperium, cum ab hostili Aquilonarium gentium infestatione non nihil respirasset, simulque cum ocio & affluentia rerum, vitia inundassent, vt præter nomen Christianum nihil à plerisque teneretur. Nam præcipue quidem crudelitas, & odium veritatis, amorque mendacij vige-  
 gebant; vsque adeo vt si quisquam eorum mitior veritatisq̃ue amantior esse videretur, in hunc tanquam Britannie subuersorem, omnium odia & tela torquerentur. Neque id seculares modò viri, verumetiam ipse grex Domini eiusque pastores agebant: ebrietati dediti, atque inuidiæ & contentio-  
 nibus cæterisque morum corruptelis, suauis Christi iugo reiecto, seruietes. Hæc igitur cum ita se haberent, collabentem illic languore fidei ecclesiam, aliquando censura cælestis erexit. Aduocati Saxones, qui præsidio essent aduersus incursantium gentium feritatem, deuorare ipsi & seuire, bonosque magis persequi ac tollere, nec religionem inuiolatam posse pati cœperunt. Etenim accensus ignis paganorum manibus ciuitates agrosque populabatur, ruebant ædificia publica simul & priuata; passim sacerdotes inter ipsa altaria trucidabantur; præfules cum populis, nullo honoris discrimine, ferro pariter & flammis absumebantur, nec erat qui crudeliter interceptos sepulture mandaret. Nonnulli in montibus comprehensi acervatim iugulabantur: alij fame confecti, sese alimenti gratia capiendi, hostili potestati permittebant, incerti tamen num vel sic effugerent mortem: alij trans-  
 marinas regiones, mœsti & afflicti petebant, alij pauperem  
 in mon-

*Ambrosius*  
*lib. 2. de fide*  
*cap. 3. in fine.*  
*Cap. 13. lib.*  
*promis. &*  
*prædic. dimi-*  
*dij temporis.*  
*Lib. 18. deci-*  
*mit. Dei cap.*  
*52.*  
*Beda lib. 1.*  
*histo. Anglo.*  
*cap. 14. 15. &*  
*16.*

in montibus, syluis, rupibusue arduis, suspensa expectatione  
 trepidi & latentes agebant. Et quæ spes emergendi suppe-  
 teret, nisi expleta tyrannide impius abscederet hostis? Itaque  
 illo abeunte prodeunt abditi, colliguntur dispersi, redeunt  
 profugi, & quæ antea calcabatur religio moribus deprava-  
 tis, ea feruentius tum, diuina correptione castigatis, excoli-  
 tur: vnoque omnium consensu & animo, diuina miseratio-  
 ne implorata, ad arcendos patriæ veræque religionis hostes,  
 studij contentione maioris armantur. Non iam multis cõ-  
 memorare necesse est, quàm graues sæpè hostes senserint  
 Merciorum paganas adhuc gentes, conuersi ad Christum  
 Angli suis cum regibus. Non refero, vt illic Christianis regi-  
 bus aliquando succedentes impij, profanos idolorum cultus  
 reuocârint: nouella Christianorum germina multa reuulse-  
 rint, piosque sacerdotes furore barbarico, suis de finibus  
 exegerint. Prætereo Daniam, vbi rex Ericus tyrannica  
 crudelitate defæuens, multos Christi cultores per varia tor-  
 menta consumpsit. Infestos prætereo vicinis Christianis Sa-  
 xonũ populos, quos vario bello fractos, Carolus Magnus  
 Christi subire iugum vix tandem coegit. Omitto de Bohe-  
 mia multis dicere, vbi Drabonucia sæuissima mulier etiam  
 Venceslaum filium, causa religionis interficiendum curauit.  
 Quid Phrysios referam? qui vt suum in Christianum nomen  
 odium explerent, Franciam orientalem Pipino regnante,  
 ferro & igni longè lateque vastarunt? Quo cunque veniebat  
 Christus aduersabatur atq; obfistebat diabolus: & vasa sua,  
 quæ longa possessione tenuerat, eripi sibi non sustinens, effu-  
 sis persecutionum veluti torrentibus, prædicationis euan-  
 gelicæ dissipatè sensina, simul vt erant cordibus credentium  
 mandata, conabatur. Maximè verò in eo elaborabat, vt re-  
 ges haberet ac principes suis à partibus consistentes; quòd  
 eorum vel authoritatem mobile vulgus sequatur facillimè,  
 vel potestatem atque iram pertimescat. Itaque cum fidem  
 Christianam venerabilis Bedæ temporibus Phrisia suscepis-  
 set, priorum aliquot opera sacerdotũ, in quibus VVillebror-  
 dus, presbyteri gradu & merito præfulgebat, horum exem-  
 pla secuti alij quidam, dum antiquorum Saxonum conuer-  
 sionem meditantur, secumque vascula sancta & tabulam al-  
 taris vice dedicatam conferunt; ne religionem persuadere  
 nouam Satrapæ possent, trucidantur à rusticis: non sine gra-  
 uissima

*Chronica  
 Brab.*

*Beda lib. 5.  
 hist. Anglo.  
 cap. 11.*

DE VARIIS PIORVM

uissima quidem illius indignatione, postquam id resciscit, quod eum conuenire peregrini homines, non liberè sinerentur. Sic olim proconsulem Sergium Paulum, virum prudentem, diuini verbi audiendi cupidum, auertere diabolus à fide nitebatur, subornato ad eam rem pseudopropheta & mago Barieu. Cuius studium quantum haberet diabolicae nequitiæ, Pauli Apostoli grauissima in illum ostendit oratio. Is enim ait Lucas, repletus spiritu sancto intuens in eum, dixit. O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnium iustitiæ, nõ desinis subuertere vias domini rectas, &c.

170. 13.

De numero persecutionum Gentilium.

CAPVT II.

Orosius lib.  
7. cap. 26.

Leo serm. 2.  
de Penitentiis.

**A**D numerum autem quod attinet, Paulus Orosius decem persecutiones, à Nerone vsque ad Diocletianum & Maximianum, tanquam decem Aegypti plagas fuisse scribit. Leo quoque Pontifex numeri significationem faciens, ait Manichæum damnandum innotuisse, cum octaua in Christianos ebulliret persecutio, Probò imperatore, Paulinoque consule. Sed & ante Leonem D. Hieronymus quartam à Nerone persecutionem, regnante Marco Antonino & L. Aurelio Commodò: Septimam sub Decio, & octauam sub Valeriano & Galieno principibus, in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, numerauit. Quod & de Romanis, & insignioribus accipiendum erit. Nam quis alioqui persecutionum, quibus vbi que locorum exagitati pij fuere, aut numerum certum reperiat, aut sibi etiam inuestigandum putet? Multò verò minus definiendum est, vsque ad Antichristi persecutionem, non nisi nouem aut decem numerari oportere, vt vndecima sit Antichristi persecutio, plagæ Aegypti vndecimæ respondens: tamen si Sulpitius Seuerus tale quiddam literis mandauerit. Sacræ namque historix libro secundo, Romanorum principum ad Constantinum vsque successione perducta, atque ad id vsque tempus, nouem persecutionibus numeratis. Exinde inquit, tranquillibus rebus, pace perfruimur, neque vltius persecutione fore credimus, nisi eam quam sub fine iam sæculi Antichristus exercebit. Etenim sacris vocibus, decem plagis mundum afficiendum, pronunciatum est. Ita cum iam nouem fuerint, quæ superest, vltima erit. Hoc igitur Sulpitius sensit & scri-

scripsit: Qua de re & opinione, copiosè differitur apud August. in ijs libris qui sunt de ciui. Dei, Nec illud inquit, temerè  
 puto esse dicendum siue credendum, quòd nonnullis visum  
 est vel videtur, non amplius ecclesiam passuram persequi-  
 tiones vsque ad tempus Antichristi, quàm quot iam passa  
 est, hoc est decem; vt vndecima eademque sit nouissima ab  
 Antichristo. Primam quippe computant, à Nerone quæ fa-  
 cta est; secundam à Domitiano, tertiam à Traiano, quartam  
 ab Antonino, quintam à Seuero, sextam à Maximino, se-  
 ptimam à Decio, octauam à Valeriano, nonam ab Aureli-  
 ano, decimam à Diocletiano & Maximiano. Plagas enim  
 Aegyptiorum, quoniam decem fuerunt, antequàm inde exire  
 inciperet populus Dei, putant ad hunc intellectum esse refe-  
 rendas; vt nouissima Antichristi persecutio similis videat-  
 ur vndecimæ plagæ, qua Aegyptij dum hostiliter perse-  
 querentur Hebræos, in mari rubro, populo Dei per siccum  
 transeunte, perierunt. Sed ego illa re gesta in Aegypto, istas  
 persecutiones propheticè significatas esse non arbitror;  
 quamuis ab eis qui hoc putant, exquisitè & ingeniosè illa  
 singula his singulis comparata videantur; non prophetico  
 spiritu, sed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad  
 verum peruenit, aliquando fallitur. Quid enim qui hoc sen-  
 tiunt, dicturi sunt de persecutione qua ipse Dominus cru-  
 cifixus est? in quo eam sunt numero posituri? Si autem hac  
 excepta existimant computandum, tanquam illæ numerandæ  
 sint quæ ad corpus pertinent, non qua ipsum caput est appe-  
 titum & occisum; quid agèt de illa, quæ posteaquam Chri-  
 stus ascendit in cælum Hierosolymis facta est; vbi B. Ste-  
 phanus lapidatus est; vbi Iacobus frater Ioannis gladio tru-  
 cidatus est; vbi Apostolus Petrus vt occideretur, inclusus est,  
 & per angelum liberatus; vbi fugati atque dispersi de Hiero-  
 solymis fratres; vbi Saulus qui postea Paulus Apostolus  
 factus est, vastabat Ecclesiam; vbi ipse quoque iam fidem  
 quam persequebatur euāgelizans, qualia faciebat est passus,  
 siue per Iudæam, siue per alias gentes, quacunque Christum  
 feruentissimè prædicabat? Cur ergo eis à Nerone videtur  
 ordiendum, cum ad Neronis tēpora, inter atrocissimas per-  
 sequutiones, de quibus nimis longum est cuncta dicere, Ec-  
 clesia crescendo peruenerit? Quòd si à regibus factas per-  
 sequutiones in numero existimant esse debere; Rex fuit He-  
 rodes,

DE VARIIS PIORVM

rodes, qui etiam post ascensum Domini persecutionem  
 grauissimam fecit. Deinde quid respondent etiam de Iulia-  
 no, quem non numerant in decem? An ipse non est Ecce-  
 siam persecutus, qui Christianos liberales literas docere ac  
 discere vetuit? Sub quo Valentinianus maior, qui post eum  
 tertius Imperator fuit, fidei Christianæ cōfessor extitit, mi-  
 litiaque priuatus est. Vt omittam quæ apud Antiochiam fa-  
 cere cœperat, nisi vnus fidelissimi & constantissimi iuuenis  
 (qui cum multis vt torquerentur, apprehensus, per totum  
 diem primus est tortus) inter vngulas cruciatusque psallen-  
 tis libertatem atque hilaritatem miratus exhorruisset, & in  
 cæteris deformius erubescere timuisset. Postremò nostra  
 memoria Valens supradicti Valentiniani frater Arrianus,  
 nōne magna persecutione per Oriētis partes catholicam  
 vastauit Ecclesiam? Quale est autem non considerare Ecce-  
 siam per totum mundum fructificantem atq; crescentem;  
 posse in aliquibus gentibus persecutionem pati à regibus,  
 & quando in alijs non patitur? Nisi fortè non est persecu-  
 tio computanda, quando rex Gotthorum in ipsa Gotthia  
 persecutus est Christianos crudelitate mirabili, cum ibi  
 non essent nisi catholici, quorum plurimi martyrio coro-  
 nati sunt, sicut à quibusdam fratribus qui tunc illic pueri  
 fuerant, & se ista vidisse incunctanter recordabantur, audi-  
 timus. Quid modò in Perside? Nōne ita in Christianos  
 feruit persecutio, si tamen iam quieuit, vt fugientes inde  
 nonnulli vsque ad Romana oppida peruenerint? Hæc atq;  
 huiusmodi mihi cogitanti, non videtur esse definiendus nu-  
 merus persecutionum, quibus exerceri oportet Ecclesiam.  
 Sed rursus affirmare aliquas futuras à regibus præter il-  
 lam nouissimam, de qua nullus ambigit Christianus, non  
 minoris est temeritatis. Itaque hoc in medio relinquimus,  
 neutram partem quæstionis huius astruentes siue destruen-  
 tes; sed tantummodo ab affirmandi quodlibet horum au-  
 daci præsumptione reuocantes.

*Gentilitatem varijs distractam deorum cultibus, vitijsque dis-  
 sipatam, in hoc tamen conuenisse, vt vnus Dei culti-  
 res persequeretur. CAP. XII.*

**H**Atenus abundè monstratum est Gentilem impie-  
 tatem cum religione, & iniquitatem cum iustitia, &  
 cum honestate turpitudinem pacem habere non  
 posse;

posse; sed odio semper implacabili persequutam esse, ac tanquam intolerabilem sibi hostem, omnibus opibus viribusque delere funditus decreuisse. Hinc sequuta in familijs separatio, in regnis bella, in toto orbe crudelitas. Non enim venerat Christus pacem mittere secularē, qua fieret vt nulla esset in terris dissidentium inter sese partium hostilis collisio; sed gladium potius, dum conuersis ad Christum nonnullis, hos ceteri in sua impietate obfirmati, non maledicis modò verbis atque blasphemijs, verumetiam gladijs insectarentur. Et ad nouum quidem testamētum pertinet quod scriptum est. Constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non leuabit gens contra gentē gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Ac rursus: Lupus & agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, & serpenti puluis panis eius: non nocebunt neque occident, in omni monte sancto meo, dicit Dominus. Verum hæc propter multorū conuersionē scripta sunt, qui ex persecutoribus ecclesiæ, facti sunt eiusdē spiritales agricolæ, atq; ex feris bestijs homines māsueti. Etenim in ecclesia, quæ mons est Dei sanctus, hoc euenit, vt cum agno, qui prius fuerat lupus, habitaret; puerque paruulus, id est, humilis & mansuetus in ecclesia pastor, minaret ac regeret eos. Bella quoq; Christus abstulit, quēadmodum in Psalmo prædictum est, vsque ad finem terræ, sed ea bella, quibus contra Deum iustitiamque pugnatur, & hoc quidem in electis suis, ad mansuetudinem pietatemque conuersis. At neque omnium ea fuit metamorphosis, & quibus contigit, priusquam fieret, magnis illi sæpe odijs atque furoribus in ecclesiam inuecti sunt. Tradet, ait Saluator, frater fratrem in mortem, infidelis fidelem, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Perditorum hominum quādam vniuersitatem significat, cui inuisa virtus, cui exosa veritas, cui abominabiles futuri essent Christiani. Qua in multitudine, quid aliud esse dixeris, quàm frementium quandam collectionem bestiarum? In qua, & si aliæ in alias sæpe numero seruiunt, nec possit impietas in varios errores distracta, fouere concordiam; tamen vnus omnes impietatis spiritus, ad oppressionem propositæ veritatis instigat. Velut si inter seipsos lupi furentes, ouem subito conspexerint, in hanc continuò naturalis omnium feritas, priorum inimicitiarum oblita, conuertitur.

*Matth. 10. d**Isaiæ 2.**Isaiæ 65.**11.**Psalms. 45.**Matth. 10.*

D uertitur.

*Matth. 10.*

uertitur. Quidenim hoc simile refugiam, quod ipsum nobis euangelium subministrat? Ecce, inquit Saluator, ego mitto vos sicut oues in medio luporum; talia proculdubio passuros eos denunciatis, qualia necesse est oues perpeti inter luporum greges constitutas. Etsi mundus igitur quod suum est, in aliqua sui parte diligit; tamen quod de mundo electum est, ab eoque sensu ac moribus segregatum, nulla non sui parte mundus quoad potest persequitur. Vnius Dei veri cultores, cultusque eius ac religionis professores, nonne quibuscunque superstitionibus dediti populi, tanquam vno animo furiosissime sunt insectati? & tamen illi ipsi, incredibili deorum varietate diuisi atque distracti fuerunt. Non enim iisdem apud omnes, inquit Athanasius, appellantur dii, sed quot per orbem nationes sunt, tot ferè finguntur dii. Et sæpè fit vt vna Regio, & eadem ciuitas in huiusmodi simulachrorum cultu aduersum se magna seditione dissideat. Nempe enim Phœnicæ, Aegyptiorum deos penitus nesciunt, Aegyptijque Phœnicum simulachra ignorant. Schyæ itidem Persarum, & Syrorum Persæ non suscipiunt deos. Pelasgi quoque Thracum sacra repudiant, Thracæque Thebanos ritus cultusque ignorant. Indi aduersus Arabas, & Arabes contra Aethiopas, hi que ipsi aduersum se de religione dissentiant. Syri Cilicum deos minimè adorant, Capadocumque genus deos alios nominat. Sed & Bithinij alios, & alios Armenij sibi sinitere. Et quid me necesse est multa memorare? Epirotæ alios, quàm qui insulas habitant, hi que ipsi alios quàm Epirotæ deos venerantur. Denique omnis ferè ciuitas, omnis pagus finitimorum nesciens deos, præfert suos, hosque solos cæteris præfert. Aegyptiorum sacra sacrilega nihil referre opus est, cum sint ante oculos omnium, vt scilicet aduersum se inuicem vrbes omnes de religione dissideant, studeantque veluti dedita opera, contraria sibi inuicem, qui sunt finitimi, colere. Nempe enim Crocodilus apud alios vt Deus adoratur, vicinis alijs abominatio existimatur. Leo item, qui apud alios pro Deo colitur, non solum à proximis ciuitatibus minimè suspicatur, verum etiam si ab his reperiatur, vt belua immanis occiditur. Piscis quem alij vt Deum venerantur, ab alijs in cibum incunctanter assumitur. Hinc apud illos & bella, & seditiones, & inuidiæ occasiones, omnisque perturbatio & voluptas viget.

Quòdque

*Author libri  
contra Gen-  
tiles, inter  
Athanasij  
opera.*

Quodque mirum sit, Pelasgi, vt tradunt qui ista scripsere, cum ab Aegyptijs deorum nomina cultusque didicerint, Aegyptiorum deos ignorantes alios quam illi colunt; cunctarumque prorsus gentium, quas idolorum vesanus detinet cultus; aduersa secumque diffidens est de religione sententia, vt neque apud easdem eadem inueniatur. Et merito id quidem. Nam cum ab vnus ac veri Dei intelligentia delapsi sint, atque à vero patris verbo Saluatore omnium Christo defluerint, mentem iure habent in multa variaque distractam. Deorum autem multitudinem, scelerum sequuta est multitudo: & diuisi cultibus homines, affectibus quoque magis diuidi dissiparique coeperunt, vt possideret Christus aliquando, sicuti praedictum erat, haereditates dissipatas. Sic enim diremptum est omne foedus, dirempta societas iuris *Esaiæ 49o* humani; cum sibi quisque consulere, ius in viribus computare, nocere inuicem, fraudibus aggredi, dolis circumscribere, commoda sua aliorum incommodis adaugere; non cognatis, non liberis, non parentibus parcere; ad necem hominum pocula temperare, obsidere cum ferro vias, maria infestare: libidini autem, quo furor impulerit, frena laxare, nihil denique sanctum habere quod non nephanda cupiditas violaret. Nec suffecerat, inquit Sapiens, errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscientiae bello, tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniam plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt; sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat: & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiae & impudicitiae. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initiū, & finis,

*Quae causae Gentilitatem ad persequendos cruciandosque Dei cultores impulerint.*

CAPVT XIII.

**I**Taque caeca gentilitas, variorum imbuta cultu deorum, atque multiplici ignorantia ceu caligine quadam inuoluta, lucem non sustinens veræ pietatis atque doctrinae,

D ij

graui-

DE VARIIS PIORVM

*Ephes. 4.*

*Apocal. 12.*

*Act. 19.*

grauiterque ferens, venire deos in contemptum, ad populi Christiani deletionem armata est. Dignum hoc erat studium illis hominibus, quos describens Apostolus ait, ut non ambuletis sicut gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quam est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in auaritiam, propter studium videlicet percipiendae voluptatis insatiabile. Cruciabatur & diabolus vocatione gentium, & quotidiana potestatis suae destructione torquebatur; dolens ubique se deferi, & verum regem omnibus locis adorari. Hoc & Apocalypsis nobis aptissima quadam imagine visa est adumbrasse. Nam posteaquam vidit draco ille de effuso piorum sanguine rufus, quod è caelo proiectus esset in terram, crucis videlicet virtute, sanctorum è cordibus exturbatus, persequutus est mulierem, id est ecclesiam, ex Iudaeis primum congregatam; quae masculinum, Christum nempe Dominum, in cordibus hominum, assiduo praedicationis labore, pepererat: dataeque sunt huic mulieri alae aquilae magnae, quibus in deserta gentilitatis, paratumque sibi in electis locum subuolaret. Sed & tum misit serpens ex ore suo aduersus mulierem aquam tanquam flumen, ut eam trahi cogeret à flumine, violentiaque persecutionis, per Iudaeorum malevolentiam excitatae, in ipso statim ingressu gentilitatis obrueret. Sed adiunxit terra ipsa deserta mulierem, hanc in multis credendo suscipiens, & os suum aperuit, persecutionisque flumen, quod ex ore suo draco emiserat, dum credidit, absorbuit. Et iratus est draco in mulierem, quam illic iam tanquam immobili sede fixam esse conspexerat, abiitque nihilominus praelium facere cum reliquis de semine eius, quoscunque ipsa in gentilitate pepererat, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi; aptumque ad bellum hoc sibi locum delegit: stetit enim super arenam maris, id est, super infinitam carnalium multitudinem, quam sibi addictam, variisque cupiditatibus seruientem, in Christi cultores, assiduis instigationibus inflammaret. Horum de numero fuit ille Demetrius, qui argenteas Dianae aedulas faciebat: qua ex re & sibi ipse & artificibus alijs, non mediocrem afferebat quaestum: quos conuocans, & eos qui

e iuf-

eiufmodi erant opifices, hoc tanquam classico suæ vocis ad  
 persequutionem mouendam, excitauit. Viri, scitis quia de  
 hoc artificio acquisitio nobis est: & videtis & auditis, quia  
 non solum Ephesi, sed in tota penè Asia, Paulus hic suadens  
 auertit turbam multam, dicens: Quoniam non sunt dij qui  
 manibus fiunt. Neque modò hæc nobis, inquit, periclitatur  
 vtilitas, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputa-  
 bitur, & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia &  
 orbis colit. Hanc eius orationem quæ rerum confusio, quis  
 furor gentilium, quæ turbatio piorum consequuta sit, Acta  
 Apostolorum enarrant. Nimirum ille Demetrius ad arenam  
 aceruos pertinebat, super quos pugnaturus draco constite-  
 rat. Commodus erat ille diabolo miles, imò dux etiam mi-  
 litum plurimorum, quem sibi obnoxium & auaritiæ vincu-  
 lis, tanquam eatenarum ineluctabili nexu; & infidelitatis  
 caligine, vt tetro carcere, retinebat. Eadem in arena hære-  
 bant & illi, qui ob eiectum è puella spiritum Pythonem,  
 quæstumque non mediocre interuersum quem ex diuina-  
 tione colligebant, Paulum & Silam apprehensos, in forum  
 ad principes magistratusque eiufmodi cum accusatione per-  
 traxerunt. Hi homines conturbant ciuitatem nostram cum  
 sint Iudæi, & annunciant morem, quæ non licet nobis susci-  
 pere neque facere, cum simus Romani. Tum verò non causa  
 discussa, non ordine iudiciario lata sententia est; sed aduer-  
 sus infontes cõtinuò plebs furibunda cucurrit; & magistra-  
 tus scissis tunicis eorum, virgis eos cædi iusserunt, affectosq;  
 plagis multis, arctissimæ custodiæ mandauerunt. Ac ne de  
 solis loqui videamur Apostolis, cur infiniti postea martyres  
 effecti sunt, nisi quia vitia redarguerent, quorum amore ni-  
 mium multi tenebatur? Nam & Iustinus philosophus, cum  
 Romæ Crescentem Cynicum, qui multa aduersus Christia-  
 nos blasphemabat, reprehenderet vt gulosum & mortis ti-  
 midum, luxuriæque & libidinum sectatorem, ad extremum  
 studio eius & insidijs accusatus, quod Christianus esset, san-  
 guinem pro Christo fudit. Quæ autem & illis & posteriori-  
 bus diu temporibus, singuli iudices ac præfecti gesserint;  
 & quàm ferina rabie, quibusque de causis in pios ybique sæ-  
 uierint, enarrare nemo sufficiat. Quis enim voluminum nu-  
 merus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis?  
 De hisce Lactantius cum scribit: Accepta potestate, inquit,

*Ibidem.**Act. 16.**Euseb. lib. 4  
hist. eccles.  
cap. 16.**In fi. diui.  
li. 5. cap. 11.*

D iij pro

DE VARIIS PIORVM

pro suis quisque moribus scavit; alij pro nimia tumiditate plus ausi sunt quàm iubebantur, alij suo proprio aduersum iustos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli vt placerent & hoc officio viam sibi ad altiora munirent, alij ad occidendum præcipites extiterunt. Sicut vnus in Phrygia, qui vniuersum populum cum ipso pariter cõuenticulo concremauit. Sed hic quantò scavius, tanto clementior inuenitur. Illud verò pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur, ille scavius, ille grauior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest huiusmodi iudices quanta & quàm graua tormentorum genera excogitauerint, vt ad effectum propositi sui peruenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, vt gloriari possint nullum se innocentum peremisse (nam & ipse audiui aliquos gloriantes, quia administratio sua in hac parte fuerit incruenta) sed inuidiæ causa, ne aut ipsi vincantur, aut illi virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus, nihil aliud quàm victoriam excogitant. Sciunt enim certamen illud esse & pugnam. Vidi ego in Bythinia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tãquam Barbarorum gentem aliquam subegisset, quòd vnus qui per biennium virtute resisterat, postremò cedere visus est. Contendunt igitur vt vincant, & exquisitos dolores corporibus inmittunt, & nihil aliud euitant, quã vt ne torti moriantur. Vnde & illud est apud Prudentium:

*Peristepha.  
hymno 5. in  
S. Vincentiũ*

*His persecutor saucius  
Pallet, rubescit, aestuat.  
Insana torquens lumina  
Spumasque frendens egerit.  
Tum deinde cunctatus diu,  
Decernit extrema omnium:  
Igni, grabato & laminis  
Exercetur questio.*

*Euseb. lib. 5.  
eccles. hist.  
cap. 3.*

Ex ipsa, inquit Eusebius, sanctorum patientia scavius eis contentionis rabies accendebatur, & velut pudore quodam fatigabantur, quòd maior inesset cruciatis, quàm cruciantibus virtus. Nec soli aut præfecti aut iudices, sed vulgus ipsum odio pietatis & veritatis incitatum, sæpenumero in Christianos, vt humani generis hostes publicos, desauit. Quoties enim, ait Tertullianus, suo iure nos inimicũ vulgus inuadit,

*Apologetici  
cap. 37.*

inuadit, lapidibus & incendijs, ipsis Bacchanalium furijs?  
Nec mortuis parcunt Christianis, qui illos de requie sepul-  
turæ, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos,  
auellant, dissecant, distrahent. Impudentes quoque ho-  
mines & calunniosi dum rapere aliena desiderarent, occa-  
sione imperialium præceptorum, more prædonum interdiu  
noctuque grassabantur, & dirpiebant, publicisque latroci-  
nijs iugulabant innocentes. At mirum non est crudelia fe-  
cisse viros, dum suis affectibus seruiunt, quando ad inaudi-  
tum de sancto præceptore supplicium, & pueros disciplinæ  
odium animauit. Cassianus enim martyr, studijs aliquando  
præfectus puerilibus, cum extractus è medio gregis, sacri-  
ficare reculasset, ob eamq; rem discipulis suis donatus esset,  
vt ab ijs quos pie castigauerat, stylis perfossus necaretur.

*Quantum quisque odij tacita conceperat ira,  
Effudit ardens felle tandem libero.  
Conijciunt alij lapides, inque ora tabellas  
Frangunt, relisa fronte lignum disilit.  
Buxa crepant cerata genis impacta cruentis,  
Ruberque ictu curua tumens pagina.  
Inde alij stimulos & acumina ferrea vibrant,  
Qua parte aratis cera sulcis scribitur:  
Et qua seffi apices abolantur, & a quoris hirti  
Rursus nitescens innouatur area.  
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur,  
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.  
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,  
Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.  
Maior tortor erat qui summa pupugerat infans,  
Quàm qui profunda perforarat viscera.*

Quæ igitur quantaque ex istiusmodi causis ad innocen-  
tiam & patientiam sanctorum expugnandam atque infrin-  
gendam, excogitata fuerint supplicia: quàm acerbos crucia-  
tus, quàm tetros carceres, quàm amaras ludificationes, quàm  
asperas verborum contumelias, quàm graues famis, pædo-  
ris exilijque molestias perpassi pro Christo sint inuictissimi  
Dei serui, sola plenissimè extremi iudicij dies illustrabit, ad  
mundi summam confusionem, damnationemque im-  
piorum.

D iij

Omnia

*Lib. 4. eccle.  
hist. cap. 26.*

*Prud. hym-  
no 9. in B.  
Cassianum.*

DE VARIIS PIORVM

*Omnino inexcusabilem fuisse Gentilium in Christianos  
sententiam. CAP. XIII.*

**Q**uid enim ad excusationem sui damnata hæc turba prætexat? Adeone absurda & incredibilia, quæ afferrentur fuisse, vt ea mens humana refugeret? At longè absurdior pluriū, quàm vnius Dei prædicatio; lignaq; & saxa pro dijs coli, aut morbos & feras fœdasue bestias, videri debuit intolerabilius, quàm inuisibilem & omnia cōtinentem adorari; quem præsertim conspicua hæc eius opera indefinenter prædicent, & tanquam paginæ quædam elementorum, legendum intelligendumque præbeant: ad cuius omnes tonitrua & fulgura contremiscunt, ad beneficia gaudent. An dogma nouum suscipiendum non fuit, antiquitate reprehensa? Sicenim Romam Symmachus, aduersus Christianos conquerentem inducit, apud Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustos. Optimi principes, patres patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, vt arceremonijs auitis, neque enim me pœnitet; viam meo more, quia libera sum; hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc sacra Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ego seruata sum, vt longæua reprehendar? Videam quod instituendum putatur? Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis. Ad hunc ergo modum ille de antiquitatis reprehensione conqueritur; cum noua in primis religio dici non debeat, ad quam semper cælum terraque varijs rationibus inuitarunt: nisi fortè & solis ac syderum lucem, dicere cæci nouam velint, quòd eis propter cæcitatem, visa non fuerit vnquam. Sic enim lux veræ diuinitatis in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Sic & meridie cœci impegerunt quasi in tenebris, suasque tenebras sic amarunt, vt accusatam nomine nouitatis lucem respuerint. Neque igitur nouum censendū est quod primū fuit, semperque postea est prædicatum: neque probanda vetustas est in eo, cuius origo & obseruatio omni reprehensione digna monstretur. Deinde nunquamne ipsi nouos deos susceperunt? Nunquamne maiorum sacra mutarunt? Nouos deos consecrassè suos imperatores non ignorant. Sicenim homo commentabatur Deum, quomodo Romulus Consum, & Tatius Choacinam, & Hostilius Patuorem, & Metellus Alburnum, & Adrianus Antinuum.

Sed

*Extat hæc  
Symmachi  
relatio inter  
Ambro. epi-  
stolas, ad  
quam Amb.  
ipse literis  
ad Valenti-  
nianū datis,  
respondit  
epistola 31.*

*Ioan. 1.  
Isaie 59.*

*Ex Tertul.  
apologetico.*

Sed vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi ab Senatu probaretur. Sic nempe apud illos humano arbitratu pensabatur diuinitas. Nisi homini Deus placuerat, Deus non erat. Cur ergo Deus Christianorum susceptus non est quanquam nouus? Videlicet quia Tyberius, cuius tempore nomē Christianum in sæculum introiuit, annunciatam sibi ex Syria & Palæstina veritatem illius diuinitatis detulit ad senatum, cum prærogatiua suffragij sui. Senatus quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Circa deos quoque suos, quæ patres eorum decreuerant obseruantissimi antiquitatis, resciderunt. Liberū enim patrem cum mysterijs consules senatus autoritate, non modò vrbe, sed vniuersa Italia eliminauerunt. Serapidem & Isidem & Harpocratē cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, id est, curia deorū pulsos, Pisonius & Gabinius consules, euersis etiam aris, abdicarunt. An dicere potuerint sectam paucorum & eam obscuram, orbis authoritati, minimè anteponi debuisse? Sed iam orbis totus ad Christum confluebat, non piscatores soli, sed etiam philosophi; nō rudes modò & elingues, sed clari etiam quidam oratores; nec verò plebei tantum, verumetiam aliquando reges & principes, prædicatam sibi Euangelij doctrinam, non clam, quasi de malo erubescerent, sed publicè tanquam de communi salute securi & læti susceperunt. Sed homines reprobi omnem sexum, ætatem, conditionem & dignitatem ad Christianum nomen transgredi, quasi illato detrimento mœrebant: neque hoc ipso ad æstimationem alicuius latentis boni promouebant animos: non licebat per summam cæcitatem suspicari rectius, nō libebat per impiam socordiam propius expediri. An dixisse tantummodo & asseruisse visi sunt Euangelij præcones, sed probauisse nihil? Atqui miraculorum clarissimorum non desuere firmamenta, quibus ij quoque mouerentur, qui rationem percipere minus possent. Sed tolerarunt etiam in repub. sua philosophorum sectas eas, quas nunquam multitudo probauit; & si quis amplecti noua placita & sequi vellet, nemo facile prohibuit. Cur persequuti sunt Christi discipulos? cur suscipi saltem passi non sunt, quod vitam efficere cernebatur meliorem? cur vel supplicijs ad impia sacrificia compellen-

*Tertul. in apologetico.*

*Idem aliquanto post.*

D v dos,

*Apologes.  
cap. 46.*

*In tractatu  
ad Deme-  
trianum.*

*In Apologe.*

dos, vel confitentes, torquendos censuerunt? Cum doctrina Christianorum de innocentia esse diceretur, aiebant & philosophos monere & profiteri innocentiam, iustitiam, sobrietatem, patientiam, pudicitiam. Quibus Tertullianus, Cur ergo, inquit, quibus comparatur de disciplina, perinde illis non adæquamur ad licentiam impunitatemque disciplinæ? vel cur & illi ut pares nostri, non urgentur ad officia, quæ nos obeuntes periclitamur? Quis enim philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas proferre compellit? Quinimò & deos vestros palam destruunt, & superstitiones vestras commentarijs quoque accusant, laudantibus vobis. Plerique etiam in principes latrant, sustinentibus vobis; & facilius statuis & sacris remunerantur, quàm ad bestias pronunciantur. Sed meritò philosophi, non Christiani cognominantur. Nomen hoc philosophorum dæmonia non fugat: quid nisi? cum secundum deos philosophi dæmonas deputant. Socratis enim vox est, si dæmonium permittat. Iure verò ob crudelitatem inexcusabilem Demetriano Cyprianus impropere, his verbis: Satis non est, quod tu ipse Dominum non colis, adhuc insuper eos qui colunt sacrilega infestatione persequeris. Fumant vbiq; in templis vestris hostiarum busta & rogi pecorum; & Dei altaria vel nulla sunt, vel occulta. Crocodili & Cinocephali, & lapides & serpentes coluntur; & Deus solus in terris aut non colitur, aut non est impune quòd colitur. Innoxios, iustos, Deo charos domo priuas, patrimonio spoliatis, catenis premissis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis. Saltem contentus esto dolorum nostrorum compendio, & simplici ac veloci breuitate pœnarum. Admoues laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia, nec feritas atque immanitas tua visitatis potest contenta esse tormentis, excogitat nouas pœnas ingeniosa crudelitas. Quæ est hæc insatiabilis carnificinæ rabies, quæ inexplebilis libido sauitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus; Christianum esse, aut crimen est, aut non est. Si crimen est, cur non interficis confidentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? Vociferatur homo, ait Tertullianus, Christianus sum: quod est, dicit: tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendæ praesides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Nisi fallor leges malos

malos erui iubent, non abscondi; confessione damnari preferibunt, non absolui. Sed aduersus Christianos, hoc est, aduersus innocentiam atque pietatem, quæ leges aliæ quæve iudicia expectari ab impijs, iniustis, turpibus, dementibus, vanisque hominibus potuerunt? Qui pudicitia, honestatis, iustitiæ, ac totius æquitatis publici hostes erāt, quidni etiam Christianorum hostes & persecutores existerent? Talibus persecutionū authoribus, damnatoribusq; nominis Christiani, gloriari meritò licuit Christi discipulis. Qui enim illorum ingenia & mores intelligere potuerūt, non nisi boni aliquid ab illis tanta crudelitate damnatum esse viderunt. Et tamen sceleratissimi homicidæ, contra pios impia iura condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ & disputationes iuris peritorum leguntur iniustæ. Domitius enim Vlpianus, authore Lactantio, libro septimo de officio proconsulis, rescripta principum nefaria collegit, vt doceret quibus poenis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur. Quid ijs facias, aut quanam ratione excuses, qui ius vocant carnificinas veterum tyrannorum aduersus innocentes rabidè sæuentium? & cum sint iniustitiæ crudelitatisq; doctores, iustos se tamen esse ac prudentes videri volunt; cæci & hebetes, & rerum ac veritatis ignari. Quin & ingrati plurimum beneficijs religionis Christianæ, per quam & firmitus imperium erat ob fidelem atq; obedientem innocentiam ciuium ac militum Christianorū, & multi ab hostium spiritualium incurſibus defensi, aut è potestate eruti, aut ægritudinibus malisque alijs liberati. Testatus est etiam literis suis grauissimus Imperator Marcus Aurelius, sitim illam germanicam, ad Christianorum militum preces, effusis imbribus, discussam esse. Cum autem multitudine sæpè ac viribus vincere possent, illatas ferre malebant iniurias; non erant factiosi, non rebelles, sed & pro regibus ac persecutoribus suis, proque reipub. communi salute ac pace, orare solebant. Hanc eis Tertullianus ingratitude olim ostendit. Pauciores nunc, inquit, habetis hostes præ multitudine Christianorum penè omnium ciuium; sed hostes maluitis vocare generis humani. Quis autem vos ab illis occultis, & vsquequaque vastantibus mentes & valetudines vestras hostibus raperet? à dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus. Suffecisset

*Lib. 5. 1  
cap. 11. et*

*Tertul. Apo-  
loge. cap. 5.  
Euseb. lib. 5.  
cap. 5.*

*Apologet.  
cap. 37.*

*Tertul. in  
apologetico.  
Origenes ho-  
mil. 28. in  
Matt. dicit  
propter eius-  
modi per-  
suasiones ec-  
clesias perse-  
quutiones  
passas esse  
& incensas:  
vide etiam  
Eusebiū lib.  
9. hist. eccle.  
cap. 7. & 8.  
Aug. lib. 2.  
de ciuit. Dei,  
cap. 3.  
Actor. 14.  
Apologetici  
cap. 17.*

eisset hoc solum nostræ vltioni, quòd vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret. Porrò nec tanti præsidij compensationem cogitantes, non modò non molestum vobis genus, verumetiam necessarium, hostes iudicare maluistis; quia sumus planè non generis humani, sed potius tamen erroris. Verum ad tanti huius odij sui excusationem, illam quoque vanitatem prætexebant, quòd existimarent omnis publicæ cladis, omnis popularis incòmodi Christianos esse causam. Si Tyberis ascēdisset in mœnia, si Nilus non ascēdisset in arua, si cælum stetisset, si terra mota, si fames, si lues grassata fuisset, statim Christianus ad Leonem, acclamabatur. Sed quam esse odij causam asserabant, ea potius ex odio nascebatur. Usque adeo enim Christianum nomen oderant, vt quicquid mali accidisset, id Christianis imputandum esse dicerent. neque enim qui peritiores erant, plenos ignorabant historiarum libros, è quibus demonstrari promptissimè posset, grauioribus sæpè cladibus hominum genus attritum, cum adhuc ignoraretur in gentibus Christiana religio. Sed se ea scire dissimulabant, vulgareque prouerbum omnibus in ore esse gaudebant, Pluuia defecit, causa Christiani nominis. Cum tamè ob id magis ista deficerent, quòd vnus Dei non reciperetur præconium. Nam vel ob id inexcusabilis erat gentium incredulitas, quòd Deus non sine testimonio reliquisset seipsum, dans pluias & tempora oportuna, implens cibo & lætitia corda eorum. Vultis, ait Tertullianus, & ex ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exteremur; vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis euigorata, licet falsis dijs exancillata; cum tamen respicit vt ex crapula, vt ex somno, vt ex aliqua valetudine, & sanitatē suam patitur, & Deum nominat solum, quia propriè verus hic vnus Deus, bonus & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur, illum, Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Denique pronuncians, hæc non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. Nouit enim sedem Dei viui, ab illo & inde descendit. Quòd si quia his minimè mouebantur, inexcusabiles sunt; quantò minus excu-

excu-

excusari possunt, qui & viua voce propositam, & idoneis miraculis confirmatam repudiarunt veritatem; neque repudiarunt modò, verumetiam crudeliter sunt insectati? Fuit autem vis hæc diaboli, & ad perdendas animas accommodatissima ratio, vt cum prius confessi Christum, continuo necarentur; postea vt negarent, torquerentur; si negassent, dimitterentur. Namque, vt est apud August: prior illa constitutio fuit, Quicumque se confessus fuerit Christianum, feriatur: posterior, Quicumque id confessus fuerit, torqueatur, & tam diu torqueatur, donec se Christianum esse negauerit. Veterem apud Romanum Senatum, ait Hieronymus, obtriuisse legem, vt absque negatione Christianus nemo dimitteretur, qui semel ad eorum iudicium pertractus fuisset: eoque factum, vt Apollonius Romanæ vrbs Senator, à seruo proditus, quanquam insigni volumine fidei suæ rationem dedisset, atque id in Senatu legisset, tamen capite pro Christo truncatus sit. Cum verò ad negandum supplicia adhiberentur, multi qui mortis celeritatem non reformidabant, longis tormentis fatigati negauerunt; & quos sagitta per diem volans non confixisset, hos meridianus demon superauit. Dum enim quosdam, inquit Cyprianus, insolenter extollit confessionis suæ tumida & inuerecunda iactatio, tormenta venerunt, & tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis, tormēta quæ ad coronam non facile dimittant, sed tam diu torqueant, quamdiu deiciant; nisi si aliquis diuina dignatione subtractus, inter ipsa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam non termino supplicij, sed celeritate moriendi.

*Quanta in persecutionibus Christianorum fortitudo enituerit. CAPVT XV.*

**Q**uis igitur tantarum & violentia, & frequentia, & fraude persecutionum, non breui delendam ciuitatem sanctam prædixisset? & tamen subuersa & deleta vsque adeò nõ est, vt & numerosior facta & illustrior videatur. Sæuiebat in eam hostis, quasi per sanctorum necesse gratia Dei posset extingui; sed eius id maximum erat lucrū, quod contemptus vitæ huius occidæ perceptio fieret felicitatis æternæ. Preciosa enim in conspectu Domini mors sanctorum eius. Sæuiebat hostis tanquam sacramento crucis

*In illud Psa.  
90. A sagitta  
volante  
per diem.*

*In catalogo  
scriptorum  
ecclesiastic.*

*Lib. 4. epi-  
stolarū, epi-  
stola 4.*

*Psalm. 135.*

ci

DE VARIIS PIORVM

cis fundata religio opprimi potuisset; cum ea persecutio-  
nibus non minueretur sed augetur, non obscuraretur, sed  
illustraretur; & ager Dominicus tum maximè diuiti segete  
vestiretur, cum grana quæ singula cadebant, multiplicata  
resurgerent.

*Prudē. hym-  
no 4. in Cæ-  
sar augusta-  
nos mart.*

*Nec furor quisquam sine laude nostrum  
Cessit, aut clari vacuus cruoris,  
Martyrum semper numerus sub omni  
Grandine crescit.*

*In Apologet.*

*Epistola ad  
Iheophilum  
aduersus er-  
rores Ioānis  
Hierosol.  
Exod. 1.*

Plures efficitur, inquit Tertullianus, quoties metimur a  
vobis, semen est sanguis Christianorum. Persecutionibus,  
ait Hieronymus, Ecclesia creuit, martyrijs coronata est. Cu-  
ius quidem rei adumbratio quædam in populo videtur Is-  
raëlitico præcessisse, quem in Aegypto peregrinante, quan-  
tò magis affligebant atque opprimebant Aegyptij, tantò  
auctior indies numerosiorque reddebatur. Fremebant itaq;  
Gentes, irascebantur populi, potestates contradicebant, su-  
perstitiones & totius mundi reluctabantur errores, sed de  
resistentibus, furentibus, persecuentibus populum suum  
Christus augebat, & per vincula ac supplicia mortesque san-  
ctorū, roborabatur fides, vincebat veritas, perq; vniuersum  
mundum sacre segetis multiplicabatur vbertas. Tanta enim  
desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo  
tolerantiæ; vt ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium  
spiritus sanctus accenderat, nulla furentium oppressione  
posset extinguī; cum & ij qui cruciabantur, vehementius  
inardescerent, & qui scruiebant, eandem quam persequebā-  
tur, flammam sæpè conciperent. Fortis igitur & varius ad  
persequendum erat aduersarius, sed ad protegendum fortior  
multò, qui in suis & pugnabat & vincebat Christus. Vnde  
victorum & post victoriam gratulantium vox est illa. Nisi  
quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia do-  
minus erat in nobis, cum exurgerent homines in nos, fortè  
vivos deglutissent nos: cum irasceretur furor eorum in nos,  
forsitan aqua absorbuisset nos. Torrentem pertransiuit ani-  
ma nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam into-  
lerabilem. Benedictus Dominus qui non dedit nos in captio-  
nem dentibus eorum. Hoc igitur præsentissimo fortissimo-  
que Domino duce ac defensore, non consternebantur illi ad-  
uersis, sed erigebantur, magisque spiritu quàm carne viuen-  
tes,

*Psal. 123.*

tes, firmitate animi corporis infirmitatem superabant. Posito enim in vinculis corpore, solutus ac liber in eis spiritus mansit; caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide & virtute viuentem, nutrimentis spiritualibus Deus pauit. Iacuerunt proinde inter poenas poenis suis fortiores, inclusi includentibus maiores, iacentes stantibus celsiores, vincientibus firmiores victi, sublimiores iudicantibus iudicati; & quamuis ligati neruo aut ferro constricti pedes essent, calcatus tamen ab ijs serpens & obtritus & victus est. Itaque hic vera illa & admirabilis fortitudo inter cruciantium manus enituit, ne sola terrena ciuitas plausu vanitatis suos extolleret ciues, si pro ea filium Torquatus occidit. Si Mutius dexteram porrexit in flammam. Si Curtius se præcipitem dando voragini vita priuauit. Si Empedocles totum sese Catanensium Aethneis incendijs donauit. Si regulus ne vnus pro multis hostibus viueret, cruce toto corpore perpressus est. Si Heraclitus se bubalo stercore oblitum exussit. Si Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam expuit in faciem Tyranni scæuentis, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset: Si Anaxarchus, cum in exitium ptisanæ pilo tunderetur, Tunde tunde aiebat, Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis. Si denique Zeno Eleates consultus à Dionysio, quidnam Philosophia præstaret, cum respondisset, contemptum mortis; grauissimisque propterea Tyranni flagellis obiectus esset, sententiam suam ad mortem vsque signauit. Cur enim ad falsam patientiam plus valeret error, aut amor gloriæ, aut alioqui cæca cupiditas, quàm ad veram & piam fortitudinem Christi gratia? A Egyptiorum imbutæ mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam subibant, priusquam aut Ibin, aut Felem, aut Crocodilum, aut Aspidem violassent: quod illi pro errore patiebantur, hoc Christi serui pro veritate non tulissent? Et illa quidem non sine causa Dominus in sæculum admisit; sed ad Christianos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidassent pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem. Sanè ipsi erant gentium principes qui persequebantur, eoque grauior erat persecutio, quòd sedentes, hoc est, iudicarijs sedibus eminentes, persecuutionem decernebant. Ex quo illa querimonia est,

*Cypr. lib. 4.  
epist. 5.*

*Vide Aug.  
lib. 5. de ci-  
uit. cap. 18.  
Et Tertul.  
sub fine apo-  
loget.*

DE VARIIS PIORVM

*Psal. 118.* est, Etenim sederunt principes, & aduersum me loqueban-  
 tur. Sed pios Domini metus & præceptum confirmabat,  
*Eodem Psal.* quemadmodum scriptum est, Principes persequuti sunt me  
 gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Non verba,  
 inquit, minacia defuerunt, Expello, proscribo, occido, vngu-  
 gulis torqueo, ignibus torreo, bestijs subigo, membra dila-  
*Matth. 10.* nio; sed tua me potius verba terruerunt, Nolite timere eos  
 qui occidunt corpus, & postea non habent quid faciant;  
 sed eum timete, qui habet potestatem corpus & animã per-  
 dere in gehennam. Præclare hoc Romanus quondam mar-  
 tyr præstitit, qui ferum iudicem non modò non timuit, ve-  
 rumetiam vt imbecillum irrisit. Cùm enim antea fuisset tor-  
 tus grauitè, plagisque affectus varijs; renouata sunt crudeli  
 iussu vulnera. Itaque illum recentes per cicatricum vias de-  
 nudò exarabant, quaque acutum traxerãt paulò antè ferrum,  
 mox recrudescens plagis apertas persequiebantur notas:  
 quibus in doloribus martyr neque mortis metu fractus, ne-  
 que tormento superatus, sed victoria alacris, suos tortores  
 ignauos vocat, istiusmodi verbis apud Prudentium vsus.

*Hymno 10.  
 in S. Roma-  
 num.*

*O non virile robar, o molles manus,  
 Vnao labantis dissipare tam diu  
 Vos non potesse fabricam corpusculi;  
 Vix iam coheret, non tamen penitus cadit,  
 Vincens lacertos dexterarum inertium.  
 Citius cadauer dentibus carpunt canes.  
 Longeque morsus vulturum efficacior  
 Ad deuorandas carnis offas mortuæ,  
 Languetis imbelli fame ac fatiscitis,  
 Gula est ferina, sed socors edacitas.*

Cumque his turbida ira iudex exarsisset, seque his verbis in  
 supremam concitasset sententiam,

*Si te morarum pœnitet, finem citum  
 Subcas licebit, ignibus vorabere  
 Damnatus, & fauilla iam tenuis fies.*

Ille nihil turbatus.

*Appello, inquit, ab ista perfide, ad Christum meum,  
 Crudelitate, non metu mortis tremens.  
 Sed vt probetur esse nil quod iudicas.*

Istiusmodi pia Christianaque fortitudine, quæ sola ve-  
 ra æstimanda fortitudo est, inter cæteros martyres præ-  
 clare

clarè quoque D. Ignatius excellit, nec eam scribendo modo præ se tulit, verumetiam perferendo monstraui. Et in verbis quidem mira est alacritas. De Syria, inquit, Romanam vsque pugno ad bestias, in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est militibus qui me custodiunt, quibus & cum benè feceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruam bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prodest ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desideras, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestie, cōfractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, in me veniant, tantum vt Christo fruam. Cumque iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, vt rugientes audiuit leones, ait, Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Quid beatus leuita Lau-

*Conuerte, inquit, partem corporis  
Satis crematam iugiter,  
Et fac periculum quid tuus  
Ardet is Vulcanus egerit.*

Cumque præfectus inuerti iussisset, tunc ille,

*Costum est, inquit, de ora;  
Et experimentum cape,  
Sit crudum an assum suauius.*

Sic & inultissimus ille Vincentius, tormenta omnia pro nihilo duxit vt in Christi confessione perfisteret, Iudicem enim alloquens, ait,

*Vox nostra quæ sit, accipe:  
Est Christus, est pater Deus;  
Serui huius & testes sumus;  
Extorque si potes fidem,  
Tormenta, carcer, vngulae,  
Stridenque flammis lamina,  
Atque ipsa pœnarum vltima*

*B. Ignatij  
fortitudo.  
Ignat. epist.  
ad Romanos, quam  
recitat  
Euseb. lib. 3.  
cap. 36.  
Hieron. in catalogo scri-  
ptorum.*

*B. Laurentij  
fortitudo.*

*Prudentius  
hymno 2. in  
B. Laurent.*

*B. Vincentij  
martyris cō-  
stantia.  
Prudent. hym-  
no 5. in B.  
Vincentium.*

*E* Mors,

DE VARIIS PIORVM

*Mors, Christianis ludus est.*

Nec verò dixit fortius, quàm re ipsa præstitit. Cùm enim equulei extensione, corporis cõpago membratim solueretur,

*Ibidem.*

*Ridebat hæc miles Dei,  
Manus cruentas increpans,  
Quòd fixa non profundius  
Intraret artus vngula.*

Et rursum,

*Est alter homo intrinsecus,  
Violare quem nullus potest;  
Liber, quietus, integer,  
Exors dolorum tristum,  
Hoc quod laboras perdere  
Tantis furoris viribus,  
Vas est solutum ac fictile  
Quocunque frangendum modo.*

Quis igitur non admiretur eiusmodi viros, singulari fortitudine cuncta minantia, cuncta terrentia, cuncta cruciantia superantes? Tales in aciem imperator cœlestis milites producebat columnis firmiores, qui possent per patientiam suã, non solum ferre impetus insipientis inimici; sed & vtrò expectere, & spontè se omnibus vel opprobriorum vel tormentorum cruciatibus obiectare, & lassescens iam penè tortoribus, adhuc parum putare, propterea quòd moram sibi hanc esse quodammodo ad Christum festinantibus crederent: rebus ferè ipsis & patientiæ virtute clamantes, Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Istiusmodi Cyprianus milites superata sui tēporis persecutione collaudās, Adest, inquit, militum Christi cohors candida, qui persecutionis vrgentis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt; parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. Repugnastis fortiter sæculo, spectaculum gloriosum præbuitis Deo, sequuturis fratribus fuisstis exemplo. Quàm vos læto sinu excipit mater Ecclesia de prælio reuertentes? Quàm beata, quàm gaudens portas suas aperit, vt adunatis agminibus intretis de hoste prostrato trophæa referentes? Cum triumphantibus viris & foemina veniunt, quæ cum sæculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt geminata militiæ suæ gloria virgines & pueri, an-

*Roma. 8.*

*Serm. 5. de lapsis.*

nos suos virtutibus transeuntes; necnon & circumstantium  
cetera multitudo vestram gloriā sequitur; proximis & penē  
coniunctis laudis insignibus vestigia vestra comitatur. Eadē  
& in illis sinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. In-  
concuissis præceptorum cœlestium radicibus nixos, & euan-  
gelicis traditionibus roboratos, non præscripta exilia, non  
destinata tormenta, non rei familiaris damna & corporis  
supplicia terruerunt.

*Quod martyrum victorijs magna Christi ecclesia,  
claraque toto orbe terrarum effecta sit.*

## CAPVT XVI.

**S**ed vt horum magna virtus pro pietate perferendo, ita  
persequentium scelus maximum in piorum hominum  
oppressionē fuit: magnū illis erat pro virtute premiū  
in cœlo repositum, graue istis apud inferos supplicium præ-  
paratum. Sic etenim Dominus Ecclesiam alloquitur. Eos  
verò qui iudicauerunt te, ego iudicabo; & filios tuos ego  
saluabo, & cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi multo  
sanguine suo inebriabuntur; & sciet omnis caro quia ego  
dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Præsti-  
tum id quoque est in terris quod fuerat diuinitus antea pro-  
phetatum, vt contempta prius & vilis habita, magna po-  
stea claraque fieret toto orbe terrarum; dum & reges nutri-  
tij eius essent, & qui destruebant antea, ij postea extruerent,  
ad eiusque defensionem etiam gladij sæcularis vsu Deo  
seruando, conuerterent. A Edificabunt, ait Dominus, filij  
peregrinorum muros tuos; & reges eorum ministrabunt  
tibi; & venient ad te curi filij eorum qui humiliauerunt te,  
& adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahe-  
bant tibi, & vocabunt te ciuitatem domini, Syon sancti Is-  
rael. Pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat  
qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorū gau-  
dium in generationem & generationem, & suges lac gentiū  
& mammilla regum lactaberis. Et rursus, Hæc dicit Do-  
minus redemptor Israel, sanctus eius ad contemptibilem  
animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum.  
Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt pro-  
pter dominum quia fidelis est, & sanctum Israel qui elegit  
te. Siquidem iustum erat, vt qui fuerant contempti & abo-  
minabiles propter Christum, ijdem à posteris in honore

*Esaiæ 49. g.*

*Esaiæ 60.*

*Esaiæ 49.*

DE VARIIS PIORVM

*Esaiæ 41.*

*Esaiæ 54.*

*Prosper promiss. par. 3. cap. 38.*

*Ibidem.*

*Ibidem.*

*Ambr. oratione funebri de obitu Valentiniani.*

pretioque haberentur : & quos vel ipsa indignos vitamundus arbitrabatur , ad horum nomina etiam mortuorum , mundi reges ac principes causa honoris assurgerent , celebrioremque apud posteros memoriam , quam vlli vnquam monarchæ , mererentur . Ecce , inquit , Dominus , confundentur & erubescant omnes qui pugnant aduersum te , erant quasi non sint , & peribunt viri qui contradicunt tibi . Et alio in loco . Omne vas quod fictum est contra te non dirigetur , & omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis . Quis credidisset contritis idolis , Christi crucem , & crucifixi discipulos tanta in gloria fuisse futuros ? Theodosij autem religiosi principis imperio per Iouium & Gaudentium comites , omnia templa expoliata scribuntur : cui Symmachus ille , mirabili tunc eloquio & scientia præditus , sed paganus , præconio laudum in consistorio recitato , subtili arte qua valuit , vt aram Victoriæ in Senatu restitui pateretur , persuadere conatus est . Quem statim à suis aspectibus pulsum , in centesimo lapide , rhedæ non stratæ impositum , ea die manere præcepit . Eutropius quoque præpotens , idemque anima & mente paganus , cum in contumeliam Ecclesiæ editum obreptitiè ab Arcadio Christiano , imperatore sculperet , vt si quis ad eam confugeret , etiam abstractus ab altari pœnas lueret ampliores , diuino iudicio suæ sententiæ prior ipse propinatus est . Offensam quippe prædicti regis incurrens , ad eius refugium , quam oderat , cõuolauit . Quem sancta mater pietatis gremio , suum excepit inimicum , eique per venerabilem sacerdotem Ioannem impetrans veniam , osori & superbo vitam contulit & salutem . Eius exemplo cunctos admonens inimicos , vanū eis esse contra stimulum calcitrare . Honorius etiam Theodosij minor filius , Christiana religione , ac deuotione præditus , templa omnia cum suis adiacentibus spacijs , ecclesijs contulit : simulque eorum simulachra confringenda in potestatem dedit . Quid memorem Valentinianum iuniorem ? ad quem cum propter recuperanda templorum iura & sacerdotiorum prophana priuilegia cultusque sacrorum , suos misisset Roma legatos , vntuersis qui in consistorio aderant , Christianis pariter atque Gentilibus reddenda esse censentibus , solus ille velut Daniel , excitato in se fidei spiritu , Christianos quidem perfidiæ arguebat , Gentibus verò referebat , quod pius frater eripisset ,

puisset, hoc à se reddi non posse; cum in eo & religio læderetur & frater. Postulet, inquit, parens Roma alia quæcunque desiderat, de beo affectum parèti, sed magis obsequium Deo parentis auctori. Doluit hæc futura Hermes Trimegistus, & merens inter cætera scripsit dicens: Tunc terra ista, sanctissima sedes delubrorum atque templorum, mortuorum erit cadauerumque plenissima futura. At spiritus Dei hoc ipsum antea prædixerat, spiritus etiam dæmonum confitendo tacere nequiuertunt: & maximè qui ipsi dixerant Domino, Quid venisti ante tempus perdere nos? Hic tantam deorum illorum turbam certorum atque incertorum quos Varro prodit, illos etiam proceres & electos deos, cum ipso rege suo Ioue fulmina vibrante, consilio potentiaque (vt eorum cultores ferunt) metuendos aruisque terribiles, hic, inquam, hic eos aliquid, si non pro mundo, saltem pro se oportebat agere, ne scilicet vnus eos perderet crucifixus. Periisse verò & res ipsa locuta est, & Dauid propheta confirmat, dicens. Perijt memoria eorum cum strepitu, & Dominus in æternum manet. Videtis, inquit, Aug. Madaurense idololatras alloquens, videtis sanè simulachrorum templa, partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim in vsu alios commutata. Ipsaque simulachra vel confringi vel incendi, vel includi vel destrui, atque ipsas huius sæculi potestates, quæ aliquando pro simulachris populum Christianum persequerantur, victas ac domitas, non à repugnantibus sed à morientibus Christianis, & contra eadem simulachra pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse; & imperij nobilissimi eminentissimum culmen, ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate supplicare. Sic & Chrysostomus de verbis Esaie. Audiant Gentes, inquit, audiant Iudæi benefacta nostra, audiant instans ac feruens Ecclesie studium. A quàm multis oppugnata est Ecclesia, nec vnquam tamen victa? Quot tyranni, quot duces, quot imperatores? Augustus, Tyberius, Caius, Claudius, Nero, homines literis ornati, potentes, tot modis oppugnauerunt recentem ac teneram, & non deiecerunt. Quin potius ij qui oppugnarunt silentur obliuioni traditi; illa verò oppugnata cælum transcendit: oppugnati sunt vndecim discipuli, totus orbis oppugnabat; verum qui oppugnabant sublati sunt: Oues deuicere lupos.

*Prosper promiss. par. 3. cap. 38. August. lib. 8. de ciui. ca. 23. 24. & 26. Marci 1.*

*Epist. 42.*

*Homil. 4.*

*Vide Euseb. lib. 9. eccles. hist. cap. 10.*

DE VARIIS PIORVM

Quo astu diabolus hereticam persecutionem  
excitavit. CAPVT XVII.



Enio iam ad hæreticos & apostatas, quos per-  
niciosissimos ecclesia hostes, etiam represso &  
quiete gentiliū furore, omni tēpore perpeffa  
est. Vidēs enim diabolus tēpla demonū deseri,  
& in nomē liberantis Mediatoris currere ge-  
nus humanū, hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christia-  
no, doctrinæ resisterēt Christianæ: quasi possent indifferēter  
sine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, sicuti ciuitas cō-  
fusionis indifferēter habuit philosophos inter se diuersa &  
aduersa sentiētes. Quid verò astutius atq; subtilius, quā vt  
Christi aduētū detectus & prostratus inimicus, videns idola  
derelicta, & per nimiū credētium populū sedes suas ac tem-  
pla deserta, excogitauerit nouā fraudē, vt sub ipso Christiani  
nominis titulo fallat incautos? Quia enim hoc nomen euer-  
tere non potuit, Christi que fama & laudibus se victum ani-  
maduertit, quod iam non potuit vituperando, cœpit lau-  
dando velle perficere. Antea enim dicebat, quem colitis? Iu-  
dæum videlicet mortuum, crucifixum, nullius momenti ho-  
minem, qui non potuit à se mortem depellere. At vbi vidit  
confluere ad Christi nomen genus mortaliū, atque in no-  
mine crucifixi templa subuerti, idola confringi, sacrificia ex-  
tingui: hominibus admiratione stupentibus, & laudanti-  
bus, studio vituperandi represso, ad laudes se Christi con-  
uertit, ijsque iam indutus & tectus, aliam decipiendi perden-  
di que viam ingressus est. *Hoc enim agente,*

*Prudent. in  
psychoma-  
chia.*

*pulsa culparum acie, Discordia nostros  
Intrauit cuneos, sociam mentita figuram.  
Scissa procul pallas, structum ex serpente flagellum  
Multiplici media camporum in strage iacebat.  
Ipsa redimitos olea frondente capillos  
Ostentans, festis respondit læta choreis;  
Sed sicam sub veste tegit, te maxima virtus  
Te solam tanto è numero Concordia tristi  
Fraude petens. Sed non vitalia rumpere sacri  
Corporis est licitum, summo tenus extima tactu  
Læsa cutis, tenuem signauit sanguine riuum,  
Exclamat virtus subito turbata. Quid hoc est?  
Quæ manus hic inimica latet, quæ pectora nostra*

*Vulue*

Vulnerat, & ferrum tanta inter gaudia vibrat?  
 Quid iuuat indomitos bello sedasse furores,  
 Et sanctum vitijs pereuntibus omne receptum,  
 Si virtus sub pace cadit? trepida agmina mæstos  
 Conuertere oculos; stillabat vulneris index  
 Ferrata de veste cruor, mox & pavor hostem  
 Cominus astantem prodit: nam pallor in ore  
 Conscijs audacis facti dat signa reatus,  
 Et deprehensa tremis languens manus & color albens.  
 Circunstat properè, strictis mucronibus, omnis  
 Virtutum legio, exquirens feruente tumultu  
 Et genus, & nomen, patriam, sectamque, denique  
 Quem colat, & iussu cuiatis venerit. Illa  
 Exanguis turbante metu, Discordia discolor,  
 Cognomento Hæresis, Deus est mihi discolor, inquit,  
 Nunc minor aut maior, modò duplex & modò simplex  
 Cum placet aerëus & de phantasmate visus;  
 Aut innata anima est: quoties volo ludere numen  
 Præceptor Belial mihi sit, domus est plaga mundi.

Hic igitur Belial, gentilitate prostrata hæreses inuenit & scismata, quibus subuerteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatem. Quos detinere non potuit in viæ veteris cæcitate, circunscibit iam & decipit noui itineris errore. Rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum sibi appropinquasse iam lumini, atque euasisse seculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus offundit, vt cum euāgelio Christi, & cum obseruatione eius & lege non stantes, Christianos se vocent, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente aduersario atque fallente, qui secundum Apostoli vocem transfiguratur se in angelum lucis, & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ; afferentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; vt dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustreretur. Hi sunt igitur falsi fratres, quorum maximè pertimescenda persecutio est. Hi sunt lupi intus rapaces, deuorandis simplicium animabus inhiantes, sed ouina pelle contecti. Hi sunt eorum ex numero, de quibus per Hieremiam Dominus ait: Quia inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes

Cypria. lib. 3  
de vnitatis  
ecclesie.

2. Corin. 11.

Hierem. 5.

*Cantic. 2.* & pedicas, ad capiendos viros. Hi sunt vulpes, quæ demoliuntur Domini vineas; quæ nisi parualæ capiantur, in illum aprum degenerant aut certè proficiunt, de quo scriptum est: Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Neque enim abs re caudas connexas facesque alligatas Sampsonis leguntur habere vulpeculæ; si ea figura (quod opinatus est Ambrosius) maximè significati sunt hæretici; propterea quòd liberã habeant linguam ad latrandum, sed exitus impeditos; aut religiosa principia, finem verò fraudis sue, incendio deputatum. Ideoque & trecentas dimisit vulpes, eò quòd perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderent; sed mysterium eius tenere non possunt: qui hac prædicatione composita & falsa atque simulata, vrere magis fructus conantur alienos, cum utique crux Christi non exurat aliena merita, sed fœcundet.

*Quàm grauis & periculosa sit hæreticorum & pseudochristianorum persecutio.*

## CAPVT XVIII.

**H**orum eò persecutio grauior est, quòd ex nobis exierunt, cum nõ essent ex nobis, & eadem aliquando familia comprehensi, eiusdemque domus præsidij defensi, bona Domini communia vnã nobiscum habuerunt. Hoc, inquam, est eorum persecutio grauior, quòd non ab externis proficisci, sed à fratribus videatur. Neque verò illos inconsideratè vocamus fratres, qui nos oderunt atque persequuntur, cum per Isaiam dicat Spiritus sanctus: Audite verbum Domini qui tremitis ad sermonem, dixerunt fratres vestri qui oderunt vos, & abierunt propter nomen meum, glorificetur Dominus. Quo loco Septuaginta reddiderunt, Dicite fratribus vestris qui oderunt vos & abominantur, vt glorificetur nomen Domini. Optatus verò Mileuitanus hunc ipsum Esaiæ locum proferens, vt hæreticos & scismaticos, fratres nihilominus nostros esse confirmet, per vestigia gradiens 70. interpretum legit; Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini. Hi qui vos odio habent & execrantur & nolunt se dici fratres vestros, vos tamen dicite eis, fratres nostri estis. Sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni; cum illis nobisque vna fuerit spiritalis in baptismo natiuitas, sed alieni modò animi diuer-

*Psal. 79.*

*Iudic. 15.*

*In Psal. 118.*

*serm. 11. &*

*lib. 7. in Lu-*

*eam, & La-*

*teranese cõ-*

*cilium cap. 3.*

*Esaiã 66. b*

*Sic & Aug.  
in fine libri  
cõtra Dona-  
tistas post  
collationem.*

diuersique actus existant. Neque verò hoc nomen fratris, vllò interueniente peccato deponitur. Quid igitur grauius? quid ad animum vulnerandum potentius? quam à fratre persecutionem perpeti? Quàm acerbum esset hoc persecutionis genus, Christus ipse cum in Psalmo de suo proditore conqueritur, indicauit. Si inimicus, inquit, maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu verò homo vnanimis, dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Rursumque aliàs: Etenim homo pacis meę in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Atque huius in typo Hieremias, Audiui, inquit, contumelias multorum & terrorem in circuitu, Persequimini & persequamur eum, ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum; si quo modo decipiatur, & praualeamus aduersus eum, & consequamur ultionem ex eo. Graue autem est illum proditorem pati, quem fore sperabas defensorem; ab illo te perdi, à quo societatis iure debuisses adiuuari; pro osculo vulnus accipere, pro vitæ solatio, perniciem ac mortem reportare; & amicitiae conuiujs, malitiæ misceri venena. Quod expertus erat in sua familia Christus, vt haberet pro discipulo proditorem, hoc quoque suos passuros prædixerat, vt essent inimici hominis domestici eius, & qui prius copulati sacramento vnanimittatis fuissent, in mortiferas inimicitias scinderentur. Quàm verò periculosa, & omni cauenda vigilantia sit hæc persecutio, facile animaduertit, qui sub specie pietatis, & professione veritatis, latere hostem intelligit. Non enim solum metuenda persecutio est, quæ subruendis ac deiiciendis Dei seruis, aperta impugnatione grassatur; facilius cautio est, vbi sit manifesta formido; & ad certamen animus ante præstruitur, quando se aduersarius confitetur. Plus metuendus est & cauendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit; vnde & nomen serpentis accepit. Ea est eius semper astutia, ea est circumueniendi cæca & latebrosa fallacia; sic ab initio mundi statim fefellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit. Sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus ac falleret, accessit. Periculosa proinde hæc omnino persecutio est, quod difficile sit cauere sibi ab ijs, qui sub nomine fra-

*Psal. 54.**Psal. 40.**Hierem. 20.**Matth. 10.**Matth. 4.*

DE VARIIS PIORVM

Genes. 4.  
Genes. 9.  
Genes. 27.  
Iob 2.

Matth. 5.  
Marc. 4.

Hierem. 9. b

Quidius.

Cantic. 5.

trum, inimici; sub nomine amicorum, hostes; sub filiorum specie, parricidæ sunt; qui sub vnitatis imagine, coniunctissimos disiungere moluntur. Abel iustum Cain scelestus per familiaritatem fratris occidit, Noë Deo probatū, Cham filius eius irrisit, Esau Iacob exulem esse paterna coëgit domo. Fortissimum militem Iob, & diaboli, patientiæ virtute, victorem, sola eius vxor tentauit inflectere. Dauidem verò regem, quoties talium inimicorum calumniæ fefellerunt? Quoties Sauli proditus? quoties quibus in locis ageret, nunciatum est? Vbiq; illi istius generis insidiæ adfuerunt. Nouerat autem Dominus hæc domesticæ calumniæ scandala, grauissimum solere fidei excidium adferre. Ideoq; præmonens, ait: Si oculus dexter scandalizat te, & si pes dexter & manus, erue & proijce abs te. Non enim de corporis membris hoc dixit, cum scandala nec pes nec manus possint adferre; sed de coniunctissimis nobis, maximeque necessarijs hominibus; ne domesticis scandalis penes nos remanentibus, aliqua nobis vitiorum labes adhæreat; & cum membri coniuncti expectetur officium, pernicies referatur. Vnusquisque, ait Propheta, se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet; vit fratrem suum deridebit, & veritatem nõ loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. Hoc & prophanus poeta querebatur.

*Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen:*

*Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.*

Quòd si ita quisque frater erit, vt tamen inter fratres etiam dignitate præcellat, cæterorumque dux & confirmator officij ratione habeatur, atque is interim sub defensionis prætextu fidem corrumpat, ac sub pascendi specie, errorum venena propinet: quænam accidere clades possit, istiusmodi persecutionis fraude nocentior? Propter hos illa in Canticis canticorum chara Deo & amica sponsa conqueritur, Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me & vulnerauerunt me. Tulerunt pallium meum custodes murorū. Per hos enim maximè, innocentis ac simplicis vitæ vestis detrahitur; atque vnitatis concordiaque solutis vinculis, facies Ecclesiæ diuisa & tanquam vulnerata, for-

ta, scædatur. Eodem in Cantico de filijs matris suæ sic ipsa *Cantic. 1.*  
conqueritur. Nolite me considerare quòd fusca sum, quia  
decolorauit me sol. Filij matris meæ pugnaverunt contra  
me. Vnam hanc persecutionem, quæ à filijs matris suæ  
profecta sit, tanquam si sola foret, commemorat. Ob eam  
solam, quòd grauißima videretur, querula nobiscum voce col-  
loquitur; ab hac denique tanquam Solis æstu, decoloratam  
atque obfuscata se esse, Christi sponsa & amica lamenta-  
tur. Postremò, vt Machabæis fratribus populoque Iudæo-  
rum nocentissimi fuere Iudæi, qui ab illis ad hostes defece-  
runt; ita populo Christiano perniciosissimi sunt inimici,  
qui ab illo per scismaticas secessiones recesserunt. Atque vt  
perniciosissimè sefellit Alcimus, de quo opinio fratrum hæc *1. Mach. 7.*  
erat ac sermo: homo sacerdos de genere sacerdotali non de-  
cipiet nos; ita nulli grauius nocent Ecclesiæ Dei, quàm ij,  
qui quòd professione sunt Christiani, & ordine sacerdotes  
Christi, nocere velle non putentur. Nihil tam cogit in mor-  
tem, inquit Ambros. quàm sub obtentu fidei fidem violare. *Lib. de fide*  
Vt enim gypsum aqua permixtum, lac colore mentitur; ita *contra Ar-*  
hic per verisimilem confessionem, traditio inimica suggeritur. *rianos, ca. 10.*

*Quibus artibus, quaque ratione circumueniant in-  
cautos heretici.* CAPVT XIX.

**A**ccedit quòd & dulci blandoque sermone venenata  
doctrina contegitur, ac ne dentes asperi morsusque  
lupini suspecti habeantur, ouium assumuntur exu-  
iæ; prophetas se Christi & seruos simulant, Christi hostes;  
vt dum ipsis creditur, Christo credi & obediri videatur. Nã  
vt D. Pauli verbis vtar, Eiusmodi pseudoapostoli, sunt ope- *2. Corin. 11.*  
rarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi: Neque  
id mirum, inquit, Ipse enim sathanas trãfiguratur se in ange-  
lum lucis; vt non magnum videri debeat, si ministri quoque  
eius, iustitiæ se ministros esse, omni industria mētiantur.  
Doctrinæ igitur catholicæ partem vehementer verbis ex-  
tollunt, vt alteram tectius deiçiant; prædicant fidem, vt ope-  
ribus detrahant; cõmendant Christi erga nos dilectionem, vt  
nos viuendo securius, erga Christum perdamus charitatem:  
falsis vera tanquam varios in lepra colores permiscet, vt  
dum subinde veritatis viuus color aspicitur, sanitas vbique  
esse putetur; zizania serunt, tritici in herba similitudine, vt  
cibus

DE VARIIS PIORVM

cibus inde animarum expectetur; adulterinos cudunt & obtrudunt nummos, quos facile pro veris incautus accipiat; hamum callidè tanquam esca pietatis contegunt, vt improvidos capiant pisces; venenum propinant, sed tanquam pueris, vasculorum prius ora melle circumlinunt, ne amaritudinem persentiscant, sensimque ipsi & occultè, contagio venenati sermonis ac pestiferæ seminationis irrepant: iuxta illud videlicet Lucretij:

*Ac veluti pueris absynthia tetra medentes  
Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
Contingunt dulci mellis flauoque liquore.*

Quanto maior deformitas doctrinæ, tantò ab ijs studiosius diuinæ authoritatis testimonia congeruntur. Vt enim mulierculæ turpitudini deditæ, veste atque auro cæterisque ornamentis & turpitudinem suam occultant, & non præuidentes in perniciem pertrahunt; ad eundem isti modum, veræ religionis pulchritudinem fingentes, scripturæ autoritate suos errores communire conantur. Sciunt enim, ait Vincentius Lyrinensis, foetores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur; atque idcirco eos cælestis eloquij velut quodam aromate aspergunt, vt ille qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facile contemnat oracula. Neque enim fraus & impostura separatim ostenditur, ne alioqui velut detractis vestibibus, perspicuè se prodant; verùm ille cerebroso amictu callidè adornata, id assequitur, vt per externam speciem apud imperitiores, verior quoque ipsa veritate esse videatur: quemadmodum Smaragdo præclaro alioqui lapidi, ingentisque apud quosdam pretij, vitrum artis industria ad eius similitudinem elaboratum, dedecus infert, cum præsto non est qui artis solertia, quod versutè factum est deprehendere queat. Solent & magnificis promissis allicere, dum aut sublimiora quedam magisque arcana pollicentur, ac de verbo abscondito gloriantur, vt eorum possit vox illa videri apud B. Iob. Porro ad me dictum est verbum absconditum. Sic enim rudioris plebeculæ conciliatur admiratio, facileque sanctius creditur, quod traditur occultius. Sunt etiam aquæ furtiuæ dulciores, & panis absconditus suauior: aut certè intelligentiæ facilitatem addunt claramque lucem ijs in rebus, quæ ab alijs credi iubentur. Etenim quemadmodum Honorato scripsit Augustinus.

Non

*Lib. contra  
propba. ha-  
res. nonita.*

*Irenæus  
præfat. lib. 1  
con. hæreses  
ex translata.  
D. Billij.*

*Vide hoc a-  
pud Eusebiū  
lib. 2. eccles.  
hist. ca. 13. de  
Simonis Ma-  
gi schola.  
Iob. 4.  
Gregor. lib.  
5. in cap. 4.  
Iob.  
Proverb. 9.*

Non aliã ipse ob causam in Manichæos inciderat, nisi quòd se dicerent, terribili authoritate separata, mira & simplici ratione, eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. *Lib. de utilitate credo di, cap. 1.* Quid enim me aliud, inquit, cogebat annos ferè nouem, sprete religione quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quòd nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari, dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus, cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus & garrulus, qualem me tunc illic inuenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, & ab eis promissum apertum & sincerum verum tenere atque haurire cupientem? Audere & hoc polliceri hæreticos, testis est Lyrinensis, quòd in Ecclesia sua, id est, communionis suæ conuenticulo, magna & specialis planeque personalis quædam sit Dei gratia, adeò vt sine vlllo labore, sine vlllo studio, sine vlla industria, etiam si nec quærant, nec petant, nec pulsent: quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensentur, vt angelicis euecti manibus, id est, angelica protectione seruari, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari: & his, inquit, promissionibus miro modo incautos homines decipere consueuerunt. Quia verò non nesciunt odiosam esse in religionis causa nouitatem, veterum subinde colligunt magno labore sententias, quas reluctante scriptoris instituto, suis egrè placitis accommodat. Captant etiam, ait Lyrinensis, plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulò inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate, dogmati suo quasi congruant; vt illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quid? quòd adeò se callidè interdum verbis catholicæ assertionis obuoluunt, nullam vt hæresim suspiceris? Sic Pelagius gratiæ fatebatur necessitatem, sed gratiam constituebat in lege atque natura. Sic, ne procul eundum sit, nostri in Eucharistiæ sacramento Christi corpus esse, eiusque nobis preciosam carnem exhiberi consentunt: at quonam id modo fiat, pro suo quique arbitrato definiunt. Si quando, inquit Basilius, Antistites hærescos eò se demiserint, vt assentiantur propositæ quæstio.

*Lib. contra  
prophanas  
hæreses  
nouitates.*

*Hieron. &  
tio lib. 1. c.  
vra Pelag.*

*In cap. 16.  
Esaiæ.*

quæstio.

quæstioni, docet tum diabolus non excuti oportere ac li-  
brari rationem sermonis, sed simplicem assertionem confes-  
sionemque sufficere. Nam & hoc agere soliti sunt, vt ad  
subtilitates quasdam, vocesque nouas & nõ necessarias, quæ  
fidei sunt pertinere persuadeant: quo sub inexplicata confes-  
sione, sensus hæreticus securior delitescat. Hoc sanè modo  
& Arius aliquando Nicæni concilij decreta subdola vafri-  
tæ circumueniens, Constantino imperatori catholicum se  
esse persuasit, vt etiam recipi in communionem iuberetur,  
& Ariani postea conuenientes Arimini, hesperijs persuasere  
simplicibus, non oportere propter vnum verbum, quod nec  
scriptum reperiretur, diuelli corpus Ecclesiæ; sed ante omnia  
sæcula natum Deum ex Deo, similem per omnia profiteri  
filium genitori; substantiæ verò tacere nomen. Sicigitur V-  
sitiæ nomen abolitum, sic Nicenæ fidei damnatio conclama-  
ta est. Hac arte captus orbis postea ingemuit, atque Arianū  
se esse miratus est. Sonabant enim propositæ confessionis  
verba pietatem, nemo venenum suspicabatur insertum. De  
Vsiæ nomine abijciendo, verisimilis ratio præbebatur, quod  
in scripturis (aiebant) non inueniretur, multosque simplici-  
ores sua nouitate offenderet; placuit auferri: non erat curæ  
episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto. Iactabat in-  
terea perfidus hostis dexteram, seque vicisse gloriabatur.  
Quid illa fraude potuit ad exitium fidei cogitari præsentius?  
periclitabatur nauicula Apostolorum, vrgebant venti, flu-  
ctibus latera tundeantur, nihil iam supererat spei. Sed repē-  
tè Dominus excitatur, imperat tempestatum, bestia moritur,  
tranquillitas redit, hoc est, Omnes episcopi qui de proprijs  
sedibus fuerant exterminati per indulgentiam noui princi-  
pis, Constantio defuncto, redeunt. Tunc triumphatorem  
suum Athanasium Aegyptus excepit, tunc Hilarium de  
prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est, tunc  
ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. Concur-  
rebant episcopi Ariminensibus dolis irretiti, qui sine con-  
scientia heretici ferebantur; contestantes corpus Domini,  
& quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide  
suspicatos; Putauimus, aiebant, sensum congruere cum ver-  
bis, nec in Ecclesia Dei vbi simplicitas, vbi pura confessio,  
aliud corde clausum esse, aliud labijs proferri timuimus.  
Decepit nos bona de malis existimatio, non sumus arbi-  
trati

*Lib. 3. Trip.  
hist. cap. 10.  
& lib. 10.  
eccles. hist.  
cap. 11.*

*Hierony. in  
dialogo con-  
tra Lucifer.  
Et lib. 10.  
eccles. hist.  
cap. 21.*

trati sacerdotes Christi, aduersus Christum pugnare.

Hæc igitur Arrianorum ad circumueniendum industria: Nec verò minus subtiles Origenistæ fuerunt. Sic verba, inquit Hieronymus, temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant; vt & nostram & aduersariorum confessionem teneant; vt aliter hæreticus, aliter catholicus audiat: quasi non eodem spiritu & Apollo Delphicus atq; Loxias oracula fuderit Cræso & Pyrrho diuersis temporibus, sed pari illudens stropha. Exempli causa pauca subijciam. Credimus, inquit, resurrectionem futuram corporum. hoc si benè dicatur, pura confessio est. Sed quia corpora sunt caelestia & terrestria, & aer iste, & aura tenuis, iuxta naturam suam corpora nominantur, corpus ponunt, non carnem, vt orthodoxus corpus audiens, carnem putet, hæreticus spiritum recognoscat. Hæc est eorum prima decipula, quæ si deprehensa fuerit, instruunt alios dolos, & innocentiam simulant, & maliciosos nos vocant; & quasi simpliciter credentes, aiunt, Credimus resurrectionem carnis. Hoc verò cum dixerint, vulgus indoctum putat sibi sufficere, maximè quia id ipsum & in symbolo creditur. Interrogas vltra, circuli strepitus commouetur, fautores clamitant. Audisti resurrectionem carnis? Quid quæris amplius? Et in peruersum studijs commutatis, nos sycophantæ, illi simplices appellantur. Quod si obduraueris frontem, & vrgere cœperis, carnem digitis tenens, an ipsam dicant resurrecturam quæ cernitur, quæ tangitur, quæ incedit, & loquitur: primo rident; deinde annunt: dicentibus nobis, vtrum capillos & dentes, pectus & ventrem, manus & pedes, cæterosque artus ex integro resurrectio exhibeat; tunc verò risu se tenere non possunt, cachinnoque ora soluentes, tonsores nobis necessarios, & placentas, & medicos, ac sutores ingerunt. Vtroque interrogant vtrum credamus & genitalia vtriusque sexus resurgere, nostras genas hirtas, foeminarum leues fore, & habitudinem corporis pro maris & foeminæ distinctione diuersam. Quod si dederimus, statim expetunt vuluam & coitum, & cætera quæ in ventre sunt & sub ventre: Singula membra negant, & corpus quod constat ex membris dicunt resurgere. Non mihi diues Ciceronis lingua sufficiat, non feruens Demosthenis oratio animi mei possit implere seruorem, si velim hæreticorum fraudulentias

*Hierony. in  
epist. 65. ad  
Pamachium  
ex Oceanū,  
de erro. Ori-  
genis.*

tias prode, qui verbotenus, resurrectionem fatentes, animo negant. Hæc de Origenistis D. Hieronymus. Vt porro Samaritani scismatici suum habuere templum, & sacerdotium, & cæremonias, ne recessisse ab vnus Dei lege cultuq; viderentur: ita hæretici in quibusdam sedulo imitantur Ecclesiam, eiusque quantam possunt, quantamque suo errore sinuntur, speciem præ se ferunt, vt vera esse Christi ecclesia existimetur. Nimirum similes cum sint, homines videri videntur, dum humanos gestus effingunt. Si pauci sunt, pusillam priuatis conuenticulis institutis, ad imitatioem eorum qua in domo Dei aguntur, omnia præserere, celebrare.

*Vide epistolam concilij Gargensis, vbi dicitur quosdam priuatis conuenticulis institutis, ad imitatioem eorum qua in domo Dei aguntur, omnia præserere, celebrare.*

*Testatur Eusebius lib. 5. hist. eccles. ca. 28. fecisse hoc Artemonistas, qui parum hominem Christum predicabant.*

ipsi sentiunt, sensisse dicunt; Christi que regnum perpetuum pro suo arbitratu terminantes, in nescio quo pontifice fidei lumen fingunt extinctum. Blandiuntur sibi de capite, cum corpus tenere recusent. Ingerunt reformationis nomen, cum penitus innouent: & ad repurgandas ecclesie sordes, faces sese præferre gloriantur, qui non euerrunt, sed euertunt funditus. Commemorant veterum quedam errata doctorum, vt non magnum videatur, si ab illorum concordia doctrina recesserint. Exagitant minima vt tanquam puluisculis in oculos simpliciorum excitatis, minus deprehendantur in maximis. Quia verò doctrinae non habent soliditatem, idcirco orationis sectantur leporem, cumque fructus qui nutriat, desit, florum ornamenta conquirunt: lenocinia falsi decoris affectant, quia negligunt intemeratæ pulchritudinem veritatis: fucum obducunt, natiua formæ gratia destituti: insectantur deprauatos hominum mores, vt dum iure reprehendant iniquitatem, existimetur depromere veritatem: Vera dicunt nonnulla, & tanquam spinis rosas interferunt, albisque & nigris coloribus phantasmata sua depingunt, vt incautius & falsa credantur. Scilicet eodem

artificio, quo Apostolos Christi, spiritus nequam, viros sanctos & filios Dei excelsi prædicabat. Hinc & tacere iussus est, ne qui prædicantem audiret, alias sequeretur errantem; Improbis enim est magister diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet; vt sub specie veritatis testimonium fraudis obtexit. Hoc enim illius ingenium est, aliena ingerit bona, vt ad sua pertrahat mala: mentitur ille semper vt fallat, blanditur, vt noceat, bona promittit vt malum tribuat, vitam proponit, vt perimat, pacem pollicetur, ne perueniri possit ad pacem; salutem promittit, ne is cui promittitur, veniat ad salutem: Ecclesiam spondet cum id agat, vt qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat: commendat omni contentione catholicam veritatẽ, cum in studio nihil habeat prius, quam vt serat errorem. Vsq̃ue ad eò variè æmulatus est fidem, vt eam affectarit aliquando etiam defendendo concutere. Itaque vt vetera quædam exempla ponantur; vnicum Deum, Monarchiæ pretextu, Praxeas asserbat, vt personarum destrueret trinitatem: Vnicum Dominum vindicabat omnipotentem mundi cõditorem, vt de ipso vnico hæresim faceret. Arius quæcunque humilius de vnigenito offerri à scriptura videbantur magno vndique studio conquirebat, ea verò premebat miro silentio, vbi idem vnigenitus in gloria patris collocatur: quo videlicet humilitatis commendatione, filij maiestatem conculcasset. Pelagius in laude naturæ & assidue & eloquentissimè versabatur, ne ad benè iusteque viuendum, medicina gratiæ Christi, necessaria crederetur. Christum Manichæus Deum fatebatur, & hanc in laqueo suo dulcissimam ponebat escam, vt Christo deditos caperet, verumq̃ illi defuisse corpus persuaderet. Quid Iouinianus? nõne matrimonium, quantis potuit semper laudibus extulit, vt virginitatis meritum deprimeret? Quid Nestorius? An non is quemadmodum & antea Photinus, vt vni suæ hæresi aditum patefaceret, cunctas hæreseon cæterarum insectabatur blasphemias? Quid Nouatianus? iram ille seueritatemq̃; diuinæ iustitiæ spirabat in lapsos, vt minus de obscurata Dei misericordia speraretur: Deo se reuerentiam deferre dicebat, cui soli deferret peccata remittendi potestatem, vt commissum apostolis, eorumque successoribus munus detraheret: Cui Cyprianus. Quæ est, inquit, Nouatiane tua dementia; vt ea quæ ad exitium salutis pertineant tantum legas, &

*Luc. 4.**Tertull. in  
sio lib. cõtra  
Praxeam.**Cyrius lib.  
1. in Ioannẽ,  
cap. 5.**Lib. 5. Trip.  
cap. 8.**In epist. ad  
Nouatianũ,  
tomo 2a*

DE VARIIS PIORVM

quæ ad misericordiam prætereas? cum nostri studia in contraria tãquam tempestate delati, quæ ad misericordiam pertinent veniæque facilitatem studiosè commendent, quæ verò de diuina seueritate terrent, prætereant. Explorant enim hæretici humanos vigilanter affectus, dum in studio plurimum habent, vt dicant placentia, personâsq; mirentur, quæstus & ventris causa. Pacem itaque prædicant verbis, vt nec opinantes, bello opprimant: & omni ambulanti in prauitate cordis sui dicunt: Non veniet super vos malum. Quod si ætate sua querebatur ita Cyprianus, vt quorundam in reconciliandis lapsis facilitatem nimiam, aliud persecutionis genus esse diceret, quid de nostris hæresibus æstimare debemus, quæ improbato etiam satisfaciendi studio, pacem ex sola continuo fide pollicentur? Dum enim corruptis mentibus pacis persuasione blandiuntur, grauius persequuntur, feriuntque funestius: vt de his iure potiore queramus, quam de suis Cyprianus querebatur, hoc esse eiusmodi concionatores lapsis, quod est grandis frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas: quod nauigijs seu tempestas. Verè etenim solatium æternæ spei adimunt, arborem a radice subuertunt, sermone morbido ad lethale contagium serpunt, nauem ad scopulos, ne ad portum perueniat, illidunt. Ad verbi verò artificium, facti quoque fallax species adiungitur, vt conciliata virtutis opinio, venenati sermonis suspicionem excludat. Hinc enim Montanistarum & Manichæorum prodigiosa ieiunia, vultusque pallores, quibus, ait Leo, suorum actuum obscena circumtegunt. Hinc Arianorum, vt testis est Prosper, continentie parcitas singularis: Hinc apud Pelagianos diuitiarum contempus, & apertiorum fuga sollicita vitiorum: hinc stupenda apud Anabaptistas in supplicijs pro suo errore perferendis, imago patientie. Misericordiam omnes, cum possunt, ostentant in corpora, vt in animos grassentur liberius: humiliant sese ad tempus, sed, quemadmodum Sapiens ait, nequiter, cum interiora plena sint dolo. Deducunt, ait Basilius, peregrè quouis progredientes, inuisunt infirmos, solantur mœstos, adiuuant laborantes & pressos, omnis generis opem adferunt: atque hoc quoddam retinaculum est plebi, quo ad illorum cõcordiam adstringantur. Quoque magis in perfidiæ labuntur errores, eò sunt attentiores ad opus, vt præclare præ cæteris facere videantur.

*Hierem. 23.*

*Serm. 5. de lapsis.*

*Leo ser. 4. de natiuitate Domini.*

*Idè Leo ser. 4. de epiphania Domini.*

*Eccle. 19.*

*Epist. 70.*

*Gregor. lib.*

*20. in Iob,*

*ca. 7. vbi ad*

*hæreticorum*

*opera falla-*

videantur. Nimirum in hereticis & impijs seductoribus, fortitudinem imitatur duritia, pertinacia constantiam, humilitatem hypochrasis, liberalitatem effusio, superstitio pietatē, astutia prudentiam, impudentia libertatem. Et quid tam absurdum vnquam pseudopropheta protulerunt, quod non aliqua semper diuini operis specie tegeretur? Nam & Mahomet fœda instituta, crassis Arabibus plausibiliora reddidit, columbæ opinata, missio, & Haumar successoris eius, in sancta ciuitate, cilicium, sordidaque indumenta, & orandi studium indefessum. Habet diabolus ad seductionem simplicium, multiplices pietatis laruas, formasque bonorum, vt quos lucis attraxit similitudine, hos in tenebras errorum impietatisque demergat: cumque fallere maximè velit, id cauet studiosissime, ne vnquam aperta fronte se prodat. Et quomodo quisque hominum idoneus sit, qui omnes mortiferos eius dolos euadat, nisi regat atque tueatur Deus? Ob eam rem illa quoque Apostolica admonitio est: Nemo vos seducat: volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra, inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & cōiunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Verissime dixit Origenes Ezechielem enarrans, hæreticorum fictam sanctimoniam, decipulam esse quandam animarum, ad capiendos incautos insidijs diaboli collocatam.

*Ad erroris persuasionem signa quoque mendacia interdum à pseudoprophetis haberi.*

## CAPVT XX.

**Q**Via verò non ignari sunt miraculis Ecclesiæ constituta esse primordia, signorum quoque ipsi videri conantur authores: tum ne superati credantur, si nihil in eo genere præstiterint, tum vt facilius per admirationis ianuam suas nouitates introducant. Sicut enim Iamnes & Mambres Moyse resistunt, quadam miraculi similitudine, cum ipsi quoque magicis artibus virgas suas conuerterunt in colubros, sed vt mirabilius postea diuino miraculo vinceretur: ita hæretici & apostatae, non verbis modo, contra differendo, verum etiam subinde factis mira quædam patrando catholicæ resistunt veritati. Namque Simon Magus non solum prius quam Philippo euangelizanti credidisset,

*cia refert  
vocem eccle-  
siae, quorum  
virtus ma-  
nnum erat  
mibi pro ni-  
bilo; Job. 30*

*Aug. Enchi-  
rid. cap 60.*

*Coloss. 2.*

*Vide hoc  
apud Euse-  
biū ex Ire-  
neo li. 5. ec-  
cles. hist. c. 7  
2 Timot. 3.  
Exodi 7.*

*Actor. 8.**Cap. 13. Apo-  
loget.**Euseb. lib. 2.  
eccles. hist.**cap. 13. ex  
Iustini Apo-  
logetico.**Suspitiu  
Seuerus sa-  
era hist. li. 2**Euseb. eccle.  
hist. lib. 3.**cap. 26.**Aug. lib. de  
heresibus ad**Quod vult-  
deum.**Eusebius A-  
pelli iungit**hanc Philu-  
menem, lib.**5. eccl. hist.  
cap. 13.**Lib. 1. ad-  
uersus Va-**lentinianos.*

didisset, baptifatusque esset, verum & postea magijs suis multos dementauit, & à via veritatis abduxit. Quantum autem his posset artibus ad rudes animas capiendas, Lucas ostendit. Huic enim, ait, auscultabant omnes à minimo vsq; ad maximū dicentes: hic est virtus Dei quæ vocatur magna. Testis est & Tertullianus impostorem illum statua & inscriptione sancti Dei inauguratum esse. Cum verò postremo in cœlum ferri, tanquam diuina virtute Romæ cerneretur, quas laudantium voces, quantosque admirantium clamores exauditos arbitramur? Quos non vel ad sese pertraxisset, vel in viæ veteris errore tenuisset, miraculi nouitate, si non ad beati apostolorum principis preces maiore fuisset Dei virtute deiectus? huic Menander succedens non assequutus modò sui instituta magistri, sed superasse etiam illum creditur magnitudine portentorum: quibus elatus non dubitauit se Saluatorem esse dicere, tantumque potuit arte fallendi, vt suis auditoribus persuaserit, ipsos non esse morituros. Seuerum quoque hereticum de schola Simonis exortū fuisse tradunt, qui puellam quandam Philumenem diceret vaticinandi munere præditam, ad eamque se sua somnia, æstusque animi sui referre, atque eius præfagijs ac diuinationibus secretius solitum edoceri: nonnulla quoque; illam edere miracula, inter quæ præcipuum esset, quòd in angustissimi oris ampullam vitream grandem panem immitteret, eumque; extremis digitulis leuare soleret illæsum, eoque cibo solo quasi diuinitus subministrato fuisse contētam. Sed & Marci cuiusdam Valentini D. Irenæus mentionem suis literis inseruit, qui mixta vino pocula consecrare se fingens, verbaque certa inuocationis proferens longius, efficiebat vt purpurea & rubicunda viderentur. Rursumque pocula mixta mulieribus porrigens, ipsas astante se consecrare iubebat, quod cum factum fuerat, ipse aliud poculum longè maius eo, quod à muliercula seducta consecratum erat proferens, atque ex minore hoc, in capacius illud, quod inerat trāsfundens, tum demum præstigiatoris hominis speciem edebat, ingenti videlicet poculo, ex eo quod multò minus erat vsque adeo impleto, vt etiam redundaret. At interim sublime nescio quid diuinumque consecrationis verba sonabāt, quibus maximè mulierculas infelices, velut quodam astro pungebat. Inter quæ hæc retulit Irenæus. Gratia ea quæ super

omnia

omnia est, cogitationemque omnem & sermonem excedit, interiore tuum hominem impleat, atque insperato in terram bonam sinapis grano, cogitationem suam in te amplificet. Hæc igitur, aliaque similia faciēs, fefellit permultos, tetrosque in errores abduxit. Sed istiusmodi & per Gentiles facta memorantur. Nam inter magna deorum miracula illud Varro *Cap. 9.* deputat, quod vestalis virgo, cum falsa stupri suspitione esset appetita, cribrum aqua impleuerit de Tyberi, atque ad ipsos iudices, nulla eius parte stillante portauerit. Illud quoque, *Herodianus lib. 2.* siue de eadem siue de alia memoratur: Cum simulachrum *Hieron. lib. 1. contra Iovinianum.* deæ matris seu Pesinuntia deæ in vado Tyberis hæreret, ad comprobendam pudicitiam suam, cingulo duxisset nauem, quam multa hominum milia traxisset nequuerant. Eius generis quædam poëta complexus est, cum de foemina quæ tali arte polleret, loqueretur.

*Hec se carminibus promittit soluere mentes  
Quas velit: ast alijs duras immittere curas,  
Sistere aquam fluuijs, & vertere sidera retro,  
Nocturnosque ciet manes: mugire videbis  
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.*

*Vergil. lib. 4. AEneid.*

Talia igitur partim verè posse fieri, quoniam creatam virtutem & industriam non superant, naturaque ipsa operatrice & adiutrice patrantur: partim fallacibus visis, tanquam fierent spectanda proponi, dæmonum virtute & subtilitate, minimè dubitamus. Quale etiam est quod de puella quadam Arabissa Prosper literis mandandum existimauit, cum de Antichristi signis scriberet: illam videlicet ancillæ Dei habitum gestantem, cum in balneo lauans tum Veneris quoddam simulachrum, tum seipsam impudicè conspicata esset, domicilium se diabolo præbuisse, statimque ipsius gutturis meatibus occupatis, cum neque cibum vllum, neque potum traheret, per 70. ferè dies, totidemque noctes, ieiunium possessori suo exhibuisse, ipsamque tandem peracto sacrificio & sacrosancto domini calice gutturi eius applicato, purgatam esse. Scire se quoque affirmat aduenisse Carthaginem quendam sub specie monachi, qui signa curationum se quædam operari profitebatur. Cumque circa cæcos & claudos, phantasticos quosdam egisset lusus, eosque oleo nescio cuius mortui ossis linisset, vt sibi visus, gressusque redditos existimarent discedentes, in illis quibus antea tenebatur infirmitatibus

*Dimidij temporis, cap. 6.*

*Sulpitius in  
vita beati  
Martini.*

*Lib. 21. de  
ciuit. Dei,  
cap. 6.*

*Statib. 24.*

permanfisse. Scribit etiam Seuerus Sulpitius quēdam Anatoliū signis adhibitis credi se voluisse Dei esse virtutē: vestē enim candidam quasi coelitus accepisse, quæ summa mollicie & splendore eximio, spectantes contrectantesque in stuporem conuerteret: cum præsertim cuius esset generis aut velleris nullo modo sciri posset: verum ea vestis (dum ad beatū Martinum ille inuitus ire compellitur) inter trahētium manus euauit. Eodemque ferē tempore animaduersum testatur idem Sulpitius in Hispanijs fuisse iuuenem, qui cum sibi multis signis authoritatem parauisset, eousque elatus sit, vt se Heliam profiteretur: quod cum plerique temerē credidissent, addidisse etiam vt se Christū esse diceret: in eoque adeo illusisse, vt eum quidam episcopus nomine Rufus, vt dominum adoraret: quē, inquit, propterea ab episcopatu delectū vidimus. Fuisse & alium in oriente cōmemorat, qui se Ioannem iacitaret. Ex quo, inquit, conijcere possumus istiusmodi pseudopphetis existentibus, Antichristi aduentum imminere. Nonnulla verò sunt quæ ab imperitis, diuina, aut dæmonum arte effecta putantur, cum solius efficiantur naturæ virtute: velut quod de Mahumet pseudoppheta sepulchro, fame celebritate commendatur. Quiddam enim simile D. August. de ferreo simulachro refert, quale illic conspicitur in loculo: nempe quodam in templo, magnetibus in solo, & in camera proportione magnitudinis aptè constitutis, simulachrum ferreum, aëris illius medio, inter vtrumque lapidem, ignorantibus quid sursum & deorsum esset, quasi numinis potestate pendere visum esse. Quale aliquid etiam, inquit, in illa lucerna de lapide Arbesto ab artifice potuisse fieri iam diximus. At cum latentem naturæ vim maligni spiritus subtilissimè perspiciāt, quid mirum si causis naturalibus, summa & industria & celeritate temperatis, mira quædam infirmis hominibus efficere videantur? Horū ope vel fecisse stupenda pseudopphetas, vel facturos esse ex ipsa scripturarum certissima lectione retinetur? Dabunt enim, ait Christus, signa & prodigia, ita vt in errorem mittantur, si fieri possit, etiam electi. Et Arrianos quidem, ait Prosper, nunc videmus multos seducere, aut potentia temporali, aut industria mali, aut certè abstinentia, parcitatis, vel quorumlibet signorum deceptione. Horum tam erant cupidi patratores, vt industriam ipsam ascribe-

rent

rent miraculo, & nescio quid diuinitus accidisse mentirentur Valens certè Arrianus episcopus hostium fugam primus Constantio imperatori renunciando, vt sui reuerentiam adderet, angelum sibi nuncium fuisse respondit. Cuius verbis facilem ille fidem accommodans, palam postea solutus est dicere, se Valentis meritis, non virtute exercitus fuisse victorum. Quamquam eos interdum, cum maius aliquid aggrederentur, haud mediocri sequuta confusio est. Voluit enim in Aphrica quondam episcopus Arrianorum Cirila, caeco lumina reddidisse videri, sed quid praestiterit, à Gregorio Turonensi narratur prolixius. Hoc quoque refert quod priori persimile est, in Hispanijs, Arriana hæresi, per Gothos, ecclesias Christianas populante, regem Lemueldum cum multa videret per catholicos miracula fieri, è suis episcopis vnum ad sese vocasse, dixisseque secretius hunc in modum. Quamobrem, vt isti qui se Christianos dicunt, non ostendistis signa in populos, secundum fidem vestram? Tum verò his verbis episcopum respondisse. Sæpius ego cæcis lumen reddidi, & surdis auditum, nunc quoque hæc possum facere quæ dicis. Atque è vestigio vnum quempiam, è suæ scholæ discipulis, aureis decem propositis, excitauisse, qui simulata cæcitate, prætereuntis huius impostoris fidem ac virtutem, imploraret. Sed audi quæso dignum hæretico miraculum. Cum manibus super oculos impositis, dixisset: Secundum fidem meam fiat tibi: continuo ille ex vidente, cæcus effectus est, ac doloris impatiens, dolum quem auaritia impellente finxerat, publica confessione detexit. At Polichronij monachi Monotelitæ, in Synodo Constantinopolitana sexta, mira omnino præsumptio fuit, ingens fiducia, & audax inceptum. Cum enim suam, de vna vel duabus in Christo voluntatibus & operationibus, fidem explicare iussus esset, chartulam protulit suæ confessionis, eamque se mortuo superpositam probaturum, eiusdem mortui suscitatione recepit. Ista est, inquit, chartula quæ debet à me superponi mortuo, & eum suscitare. Vt igitur expectationi populi satisfieret, senisq; illius ac venerabilis presbyteri & monachi secunda perniciofaque multis de veritate iactatio, conquiesceret, foras prodijt patrum Concilium, populoque ingenti congregato, appositus est in argenteo exequiali feretro mortuus. His verò cum Polichronius, fidei suæ chartulam ala-

*Sulpitius  
lib. 2. sacra  
historia.*

*In lib. de  
gloria cōfessionum,  
cap.  
12. & 13.*

cris ac spei plenus, admouisset: per complures horas permissus est, quæ vellet circa mortuum agere. At cum diu frustra infusurrans, nihil efficeret, tum planè palamque cōfessus est, se mortuum suscitare non posse. ac repente qui aderat populus exclamat, dicēs, Nouo Simoni Anathema, Polichronio seductori populi Anathema. Quomodo enim (ait sanctum Concilium) possibile fuisset, blasphemātem in Deum, virtutes operari? Licuerat tunc prophetarum Baal meminisse: qui disposito sacrificio, à mane vsque ad meridem, frustra inuocarunt nomen Dei sui, & lanceolis sese cruentarunt, vt vel ignem, qui sacrificium absumeret, è cælo deponerent, eoquē indicio, cultum Baalaticum, comprobarent. Timidiores in Britannia fuere Pelagiani, neque aggredendum putarunt, quod se posse diffiderent. Nam cum tribunitiæ potestatis quidam, annorum decem filiam cæcam, sacerdotibus Germano & Lupo curandam obtulisset, hi offerri illā aduersarijs, hoc est, Pelagianis, qui eam post Pelagium Insulam vitiant, præceperunt. At illi conscientia punente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & paruulæ curationem, ipsi quoque à catholicis sacerdotibus deprecantur: tum verò Germanus oratione fusa, adhærentem lateri suo capsulam, cum sanctorum reliquijs, collo auulsam, manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicauit, statimque fugatis tenebris, lumina rediēre. Ad visum reddendum nihil maligni spiritus valuerunt, qui tamen aduersus sanctos sacerdotes, in mari cōstitutos, ingentem excitauere tempestatem. Cùm enim Germanus & Lopus ad Pelagianos debellandos, in Britanniam pergerent, iamque essent Oceanum ingressi, tum subitò, ait Beda, pergentibus occurrit inimica vis dæmonum, qui tales tantoque viros, à studio salutis alienæ deterrerent: concitat procellas, cælum diemque nubium nocte subducunt, ventorum furores vela non sustinent, cædebant ministeria victa nautarum. Et quis tempestatem finis? excitatus beatus Germanus, in ipsa periculi immanitate, Christum inuocat, assumptoque in nomine sanctæ Trinitatis, aquæ leui aspergine, tempestatem comprimit. Hæc Christi manifesta sæpe virtus: hæreticorum autem plerunq; imbellis spiritus apparuit. Quorum etsi aliqua mira facta sunt, magis ob hoc ipsum cauere debemus, quod cùm dixisset Dominus quosdā futuros esse fallā-

*Azione 15.*  
*3 Reg. 18.*

*Beda lib. 1.*  
*hist. Anglo.*  
*cap. 18.*

*Vide Irenæū*  
*lib. 2. contra*  
*hereses, cap.*  
*37. & 36.*

*Aug. lib. de*  
*vnitate ec-*  
*clesiæ, ca. 16.*

fallaces, qui nonnulla signa faciendo, etiam electos, si fieri posset, fallerent: adiecit vehementer commendans, & ait: Ecce prædixi vobis. Et pagani (quod ex Valerij Maximi libro 1. cognosci potest) multa narrare solebant de dijs suis, mirabiliter vel facta vel visa, & tamen omnes dij gentium daemonia, Dominus autem cælos fecit. Ideoque salubriter admonens August. Nemo, inquit, vobis fabulas vendat: & Pontius fecit miraculum & Donatus orauit, & respondit ei Deus de celo (hec enim de illis impostoribus, Donatistarum gloriatio fuit) primò aut falluntur aut fallunt, deinde facillimum montes transferre; si charitatem, inquit, non habeam, nihil sum. Nam & contra istos, vt sic loquar, mirabiliarios, cautum me fecit Deus meus, dicens: In nouissimis temporibus exurgent pseudoprophetae, facientes signa & portenta, vt in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponfus, quia & miraculis decipi non debemus. Porrò Antichristi regnum quibusdam augendum firmandumque miraculis, ipse Apostolus significasse videtur, cum illius præsentiam fore dicit, secundum operationem satanæ, in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt. Eoque diuus Prosper retulit, quod legitur in Apocalypsi: Vidi ex ore draconis, & ex ore bestiae, & ex ore pseudoprophetae, spiritus tres immundos exeuntes, velut rannas, sunt enim spiritus daemoniorum facientes signa. Tunc itaq; soluetur sathanas, & per illum Antichristum in omni sua virtute, mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quo loco solet ambigi, inquit Augustinus, vtrū propterea dicta sint signa & prodigia mendacij, quoniã mortales sensus per phantasmata decepturus est: vt quod non facit, facere videatur: An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertraherent credituros, non ea potuisse nisi diuinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maximè quando tantam, quantam nunquam habuit, accipiet potestatem. Non enim quãdo de cælo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Iob, vno impetu absumpsit, & turbo irruens, & domum deiiciens, filios eius occidit, phantasmata fuerunt, quæ tamen fuerunt opera sathanæ, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sunt prodigia & signa mendacij, tunc potius apparebit.

Cap. 8. de  
miraculis.

Tract. 13. in  
Ioannem.

Marci 13.

2. Thes. 2. b

Cap. 11. de  
promis. &  
predic. di-  
midij tem-  
poris.

Apocal. 16.  
Lib. 20. de  
ciuit. Dei,  
cap. 19.

DE VARIIS PIORVM

parebit. Sed propter quodlibet horum dictum sit: seducen-  
tur eis signis atque prodigijs, qui seduci merebuntur, pro  
eo quod dilectionem veritatis, inquit, non receperunt, ut salui

*In Psalm. 9.*

1.

2.

3.

*August. lib.  
13. contra  
Faust. cap. 6  
Lib. de præ-  
script.*

*Apocal. 13.*

*Iob 1.*

fierent. Alio quoque in loco Augustinus cum triplicem Ec-  
clesiæ persecutionem faceret, postremam Antichristi, mi-  
raculis periculosam & perniciosam fore significat. Prima  
Ecclesiæ persecutio, inquit, violenta fuit; cum proscriptio-  
nibus, tormentis, cædibus, Christiani ad sacrificandum co-  
gerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per  
hæreticos, & falsos fratres agitur. Tertia superest, per Anti-  
christum ventura, qua nihil est periculosius, quoniam & vio-  
lenta & fraudulenta erit: vim habebit in imperio, dolum in  
miraculis. Sic ille quidem hoc persuasum ijs locis habuit de  
Antichristi regno; ne nimium videlicet nostris in hæreticis,  
Antichristi adhuc formidarem Imperium, quorum mira-  
culis (nam & his quoque si superis placet, noui sui euangelij  
preconium illustrare conati sunt) ex viuis citius mortui hnt,  
quàm mortui reuiuiscunt; nec satis adhuc mouere potest  
ignoti sermonis distincta prolatio, aut cognitio repentina  
literarum, quando & serpentem non ignoramus industria  
sui rectoris esse loquutum, & tam celeriter omnis illa quæ  
videtur peritia, conuersis ad catholicam fidem & respiscen-  
tibus elabatur, quàm celeriter fuerat ijsdem desipientibus  
acquisita. Iure ut audire ex Augustino possint. Si nec scri-  
pturarum authoritatis antiquitas, nec miraculorum pote-  
stas, nec morum sanitas, nec rationis veritas vos asserit, abite  
confusi, redite confessi. Poscebat & Tertullianus miracula  
ab ætatis suæ nouatoribus. Proben, ait, se novos Aposto-  
los: eadem signa edant: volo igitur & virtutes eorum pro-  
ferre: nisi quod agnoscam & maximam virtutem illorum,  
qua in peruersum Apostolos æmulantur, Illi enim de mor-  
tuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt. Denique  
scriptum est in Apocalypsi de bestia, quod signa factura sit,  
vsque adeo ut ignem quoque in terram è cælo deuocet; Sed  
quanquam hoc, sicuti verba sonant, facere diabolo difficile  
non putemus, cum inter cæteras beati Iob calamitates (vti  
antea quoque significatum est) vna illa nunciata sit, Ignis  
Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosque consumpsit:  
aliter hoc tamē D. Augustinus, cum in Apocalypsim scribe-  
ret, accipiendū existimauit. Quia enim cæli nomine passim  
signis

significatur Ecclesia, quid est, inquit, ignem descendere de caelo in terram, nisi hæreses de Ecclesia cadere? sicut scriptum est: Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Ignis enim de caelo descendit, quando hæretici qui de ecclesia velut ignis recedunt, ipsam Ecclesiam persequuntur. Neque verò id à scripturæ vsu alienum putes, quòd hæreticos per superbiam ab ecclesia resiliens, instar ignis de caelo interpretetur cadere, cum legatur in euangelio: Videbam sathanã tanquam fulgur è caelo cadentem. Huius proinde qui superbiam imitantur, (quod maximè faciunt hæretici) in modum fulguris è caelo, id est, Ecclesia haud absurdè censentur decidere. Et hæc quidem de pseudoprophetarum signis fallacibus dixisse hoc loco sufficiat.

Luc. 11.

*Familia id quoque solere esse hæreticis, vt mendaciorum fraudibus vtiuntur.* CAPVT XXI.

**T**anto autem circumueniendi perdendi que studio tenentur, vt nec mentiri, atque impudenter, quod ad institutum pertineat, fingere, cum summo famæ periculo reformident: illius videlicet vt filios possis agnoscere, de quo scriptum est: quòd mendax sit, & pater mendacij: qui extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Quid enim Ursatij & Valentis Arrianorum, commento impudentius? Quid nequius? qui cum in Nicæa Thraciæ Synodum coegissent, suaque illic dogmata, pestiferis decretis firmauissent, sparserunt in vulgus, eam esse fidem, quæ ab illo sanctissimo grauissimoque concilio generali Nicæano dictata & edita esset: vt similitudine nominis Nicæanæ vrbs, quadam subreptione deciperentur rudiores, dum aliam nullam quàm Nicæam Bithiniæ cogitarent. Sed ijs non diu prodesse potuit, tale commentum: paulò post enim confusi atque derisi sunt, deprehensoque mentiendi astu, haud leuiter sui nominis auctoritati detraxerunt. Simili arte atque industria, Nouatianos quondam vsos esse, ex diuo Cypriano constat. Illi enim, inquit, quasi filij diaboli & mendacio pleni, ausi sunt iactare viginti quinque episcopos affuisse, quod mendacium & isthic prius apud fratres nostros iactitabant, dicentes viginti quinque episcopos de Numidia esse venturos, qui sibi episcopos

Hierem. 9.

Lib. 5. Trip. cap. 32.

Lib. 1. epistolarum, epistola 3.

scopos

DE VARIIS PIORVM

scopum facerent, quo in mendacio posteaquam quinque so-  
lis conuenientibus naufragis, & à nobis abstentis detecti  
sunt atque confusi, Romam cum mēdaciōrum suorum mer-  
ce nauigârunt, quasi veritas post eos nauigare non posset,  
quæ mendaces linguas rei certæ probatione conuinceret:  
atque hæc est, inquit, verè dementia, non cogitare nec scire,  
quod mendacia non diu fallant, noctem tam diu esse quam-  
diu illucescat: clarificato autem die, & Sole oborto, luci te-  
nebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per no-  
ctem, latrocinia cessare. Nec sanè Donatistis, quo suas par-  
tes roborarent, hæc defuit cura mentiendi: qui vt multis in  
suo scismate constitutis redeundi ad catholicam aditum ob-  
serarent, maledicis spargebant rumoribus, nescio quid aliud  
catholicos in altari collocare. Quid de Manichæorum con-  
simili impudentiæ fraude loquar? quos narrat August. hoc  
diabólico priuilegio vsos, vt quicquid esset in euangelio vel  
epistolis Canonicis, quo adiuuari suam hæresin putarent, id  
esse à Christo & Apostolis dictum, tenerent atque suade-  
rent: quicquid autem ex ijsdem codicibus, aduersus eos fo-  
nuisset, id immissum à falsarijs & corruptoribus catholicis,  
ore impudenti, & sacrilego mendacio non dubitarent asse-  
rere. Sic & de Marcione Tertullianus: contraria quæque,  
ait, sententiæ suæ erant conspirantia cum creatore, quasi ab  
assertoribus eius intexta: competentia autem sententiæ suæ  
referuauit. Omitto librorum catholicorum deprauationes,  
in quibus concinnandis studiosissimè, vt olim Græci hære-  
tici, ita & huius ætatis similes artifices elaborant. Quereba-  
tur olim Dionysius Corinthiorum episcopus, quasdam à se  
rogatu fratrum scriptas epistolas, ab Apostolis sathanæ zi-  
zanijs esse repletas. Et quid mirum, inquit, si Dominica ver-  
ba scripturæ sanctæ falsare conati sunt, qui vilia hæc quæ  
nos scripsimus, corruerunt. Non commemoro pernicioso-  
rum sæpe librorum ementitos titulos, vt pro catholicis, sine  
veneni suspicione, legantur. Cuius generis fraudem, non hu-  
ius esse duntaxat ætatis, cum ex alijs authoribus, tum ex di-  
uo Hieronymo cognoscitur: qui in ea epistola, quam ad  
Ctesiphontem scripsit, narrat librum Xisti Pithagorei, ho-  
minis absque Christo atq; ethnici, immutato nomine Sixti  
martyris & Romanæ ecclesiæ episcopi prenotatum: in quo,  
iuxta dogma Pithagoreorum qui hominē ex æquant Deo,  
& de

*Aug. epist.  
48. lib. 22.  
contra Fan-  
stū, cap. 15.*

*Lib. 4. cōtra  
Marcionem.*

*Videre est  
hoc in sexta  
Synodo Cōst.  
& epist. Ni-  
colai ad Mi-  
chaelem  
Imperatorē.  
Legatur &  
epistola Ge-  
lasij, quæ cō-  
tinet decre-  
tum de Apo-  
criphis, in  
concilio 70.  
Episcoporū.*

& de eius dicunt esse substantia, multa de perfectione disse-  
 runtur: vt qui volumen philosophi nesciunt, sub martyris  
 nomine, bibant de aureo calice Babylonis. Ante quoque  
 multò à Simone & Cleobio, pestilètes sub nomine Christi  
 & Apostolorum compositos libros fuisse, B. Clemès testa- *Constit. A-*  
 tur, quos in fraudem simplicium Christianorum circumfe- *postolic. lib.*  
 rebant hæretici. Sub nomine verò Mathiæ, Iacobi Mino- *6. cap. 16.*  
 ris, Petri, Ioannis, à nescio quo Leutio; & sub nomine An- *Epist. 3. ad*  
 dreæ à Nexocharide & Leonide philosophis, D. Innocen- *Exuperiana.*  
 tius scripta quædam repudianda & damnanda commemi-  
 nit. Sed & sub nomine Mosis, Enoch, Adæ, Esaïæ, Dauidis,  
 Heliæ, & trium patriarcharum, perniciofa & veritati infesta  
 volumina euulgata fuisse, memoriæ proditū est. Inenarra-  
 bilem, inquit Irenæus, multitudinē apocriphorū & scriptu- *Lib. 1. ad-*  
 rarum quas ipsi finxerūt, afferunt, ad stuporē insensatorum. *uersus he-*  
 Leo quoque Magnus corruptissimos Priscillianistarum co- *ref. cap. 17.*  
 dices sub titulo librorum canonicorum sese scribit reperisse. *Epist. ad*  
 Hinc Canon ille 17. Concil. 1. Braccaren. Si quis scripturas, *Turbium,*  
 quas Priscillianus secundum suum deprauauit errorem, vel *ca. 15. & 16.*  
 tractatus Distinij, quos ipse Distinius antequā conuertere-  
 tur, scripsit sub nomine patriarcharū, prophetarū, & apo-  
 stolorū, & suo errori cōsona finxit, legit, & impia eorū fig-  
 menta sequitur, anathema sit. Per istiusmodi igitur homi-  
 nes, diabolus quod in Psalmis scriptū est, probè exequitur,  
 Abscondit sagittas in pharetra, vt sagittet in obscuro rectos *Psal. 10.*  
 corde. Per hos cornua exhibet agni similia, quo minus dra-  
 conis vox & veneni vis mortifera horreatur. Quis nō hanc  
 persecutionem pertimescat, quæ tantis artibus corrumpat  
 fidem, mores vitiet, animā mactet ac perdat? Quos non fre-  
 gerat gentilis persecutionis impetus: quos non carceres &  
 vincula fatigarant, hos continuo persecutio ista, vt stellas  
 è cælo, deiecit: id quod D. Cyprianus quibusdam accidisse  
 deplorabat, cum eos gratularetur ad ecclesiā postea rediisse:  
 Dolebam, inquit, vehementer & grauiter angebar, quòd eis  
 communicare non possem, quos semel diligere cœpisssem:  
 postea quam vos de carcere prodeuntes, scismaticus & hère-  
 ticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere  
 remansisset; illic enim refedisse vestri nominis dignitas vide-  
 batur, quando milites Christi, non ad ecclesiam de carcere  
 redirent, in quem prius cum ecclesiæ laude & gratulatione  
 venis-

*Lib. 3. epi-  
 stolarū, epi-  
 stola 3.*

DE VARIIS PIORVM

*In epist. ad  
Marcū pres-  
byterū Ce-  
bedensem.*

venissent. Quid? quòd claros sapenūmero episcopos, tan-  
quam de ecclesiæ fastigio, hæc tempestas deturbavit? quòd  
sanctorum monasteria, & cœtus, velut excitato incendio,  
subinde hauserit? propterea enim querebatur S. Hieron. &  
inter choros angelorum aspides latere, & de cauernis cellu-  
larum damnari orbem, atq; eos ipsos, qui in sacco & cinere  
volutabantur, de episcopis catholicis ferre sententiam.

*Hæreticos & irrequietos & contentiosos esse solere.*

CAPVT XXII.

*In eadem  
epistola.*

*August. epi-  
stola 119.*

*Lib. 16. de  
cinit. Dei,  
cap. 2.*

*Cap. 17.*

**Q**VORVM quàm ei fuerit persecutio molesta & gra-  
uis, exprimit. Non mihi conceditur, inquit, vnus  
angulus heremi: quotidie exposcor fidem, quasi  
sine fide renatus sim, confiteor vt volunt, non placet: sub-  
scribo, non credunt, vnum tantum placet, vt hinc recedam.  
Iam iam recedo, abruperunt partem à me animę meæ, cha-  
rissimos fratres. Ecce discedere cupiunt, imò penitus disce-  
dunt, melius esse dicentes inter feras habitare, quam cum ta-  
libus Christianis. Semper enim inquieta est hæreticorum  
animositas: & sicut conciliatus ac placatus Spiritus sanctus,  
requiem præstat mitibus & humilibus corde, ita contrarius  
& aduersus, immites ac superbos, inquietudine exagitat.  
Hos proinde non immeritò D. Augustinus, in medio Noe  
filio præfiguratos intelligit. Cham enim, vt ait, interpreta-  
tur, calidus, mediūq; erat filius, tanquam se ab vtroq; discer-  
nens, & inter vtrunque remanens, nec in primitijs Israelita-  
rum, nec in plenitudine gentium. Quid igitur hic, ait, signi-  
ficat, nisi hæreticorum genus calidum, non spiritu sapientię,  
sed spiritu versipellis astutię? quòd solēt hæreticorū feruere  
præcordia, & pacem perturbare sanctorum. Idcirco enim &  
perdici similes fieri, à grauissimis existimantur authoribus,  
vbi scriptū est per Hieremiã prophetam: Perdix fouit quæ  
non peperit, fecit diuitias, & non in iudicio, in dimidio die-  
rum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo, erit insi-  
piens. Auem quippe hanc ferunt plenam esse doli, fraudis  
atque fallacię: quæ decipiendi venatoris vias calleat, atque  
artes nouerit, vt eum à pullis auertat suis: quem si insistere  
aduertit, illudere tantisper, dum soboli fugiendi signum  
tribuerit atq; potestatem: & hanc vbi euasisse senserit, tum  
se quoque ipsam subtrahere, & lubrica arte deceptum insi-  
diantem,

stantem, relinquere. Fertur etiã promiscuæ esse permixtionis, vt in fœminas, summo cum certamine, mares irruant & vaga caleſcant libidine. Itaque impuro & fraudulentò & maleuolò animanti, non diabolus modò (quod D. Ambrosius fecit) verum etiam ministri eius hæretici (sicuti ab Augustino & Hieronymo factum reperimus) aptissimè comparantur. Contentiosum enim hoc genus, & mirè insidiosum est. Non enim disputare amant hæretici, sed quoquomodo superare impudentissima pertinacia. Vnde crebrò factum est, vt cum ex certaminibus, victi confusi que, abiissent, se tamen apud suos vicisse, ore impudentissimo clamarent. Sic enim olim Pascentius comes Arrianarum partium, cum iratus & furens ab eo congressu, quem cum S. Augustino inierat, recessisset. Mendacia, inquit Possidius, multa pro fide sua falsa iactabat, victum esse à seipso proclamans multorum ore laudatum Augustinum. Alias rursus cum Maximino quondam Arrianorū episcopo multis postulâtibus cõtulit, aduersariumq; certa diuinarū scripturarū autoritate reuicit, quẽadmodum ab eruditis potest ex ipsa collatione scripta iudicari. Sed ille hæreticus Hippone rediens Carthaginem, ac sibi mirificè de sua loquacitate complacens, victorem se ex congressu rediisse secura iactatione prædicauit. Hæc verò eò faciūt, vt (quemadmodum scriptura dicit) congregent que non pepererunt. Christianos enim quos maxime Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias suas, non sanè cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligūt ibi esse veram & salubrẽ, & quodammodo germanam atque radicalem Christianam societatem, vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregarunt. Et quia de talibus dicit Apost. Sicut enim Iannes & Mambres resistunt Moysi, sic & isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed vltra non proficiēt, dementia enim eorum erit manifesta omnibus, sicut & illorum fuit. Sequitur quoque hic Propheta & dicit: In dimidio dierum eius derelinquent eum, & in nouissimis suis erit inspiens, id est, Qui primò tanquam per pollicitationem & ostentationem excellentis sapientiẽ seducebat, erit inspiens, id est, patefactis fraudibus apparebit inspiens.

*Ambro. epi-  
stola 48. ad  
Ireneum.*

*Aug. tract.  
de pastoribus,  
cap. 12.  
Hierony. in  
epistola ad  
Cresiphonẽ.*

*In vita B.  
Augustini*

*Aug. lib. 13.  
cõtra Faust.  
cap. 12. et 13.  
de perdice.*

*Queria*

DE VARIIS PIORVM

*Querimonia D. Hilarij de sui temporis periculo sissimâ  
persequutione. CAP. XXIII.*

*Hilarius ad  
Constantiã.*

**S**ED priusquam manifesta orbi fiat eorum insipientiã; quis blandientis inimici mortiferam hypocritism deprehendat? quis verborum dolos, quis laqueos arte compositarum fermocinationum euitet? quis non sæpenumero facile falsa pietatis specie capiatur? Sui quidem temporis ex eiusmodi persecutione periculum B. Hilarius non tacuit, cuius querimoniam ipsius expressam verbis hunc in locum transferendam duxi, vt intelligeretur Christianam fortitudinem non sola apertè fauientium tormenta, verumetiam insidiosè ac tectè in animas grassantium blandimenta formidare. Vtrinam illud potius, inquit, omnipotens Deus præstitisses, vt hoc confessionis meæ ministerium, Neronianis, Decianisve temporibus explesem. Nec ego per misericordiam Domini calens equuleum metuissẽ, qui defectum Isaiam scissem; nec ignes timuissẽ, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem; nec crucem & fragmenta crucum meorum vitassem, postquam in paradysum translatum latronẽ recorder: Nec profundum maris & Pontici æstus absorbẽtem Reumam trepidassem, cum per Ionam & Paulum docuisses fidelibus esse in mari viam. Aduersus absolutos enim hostes tuos foelix mihi certamen fuisset, quia nec dubium relinqueretur, quin persecutores essent qui ad negandum te, pœnis, ferro, igni compellerent, neque id testificandum plus tibi nos quam mortes nostras licere impendere. Pugnaremus enim nos palam & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra iugulantes: & nos populi tui tanquam duces suos, ad confessionis religionem, intelligentia persecutionis publicæ comitarentur: At nunc pugnamus contra persecutionem fallentem, cõtra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum qui non dorso cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed dicit in mortem: non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad seruitutem, non latera vexat, sed cor occupat, non caput gladio defecat, sed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit; non contendit vt vincat, sed adulatur vt dominetur: Christum confitetur vt neget: vnitatem procurat, ne pax sit: hæreses comprimit, ne Christiani sint: sacerdotes hono-

honorat, ne episcopi sint: Ecclesie tecta struit, vt fidem destruat: te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omnino agit ne tu vt Deus, ita pater esse credaris. Ac nonnullis interiectis ipsum alloquens atq; increpans Constantium: Tu, inquit, omnium crudelissime damno maiore in nobis & venia minore defecis: subrepis nomine blandimenti: occidis specie religionis, impietatem peragis: Christi fidem, Christi mendax prædicator extinguis: non relinquis saltem miseris excusationes, vt æterno iudici suo pœnas & aliquas laniatorum corporum præferat cicatrices, vt infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium omnia persecutio- nis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confessione martyrium.

*Hoc persecutionis genus ab ipsis Apostolorum cepisse temporibus. CAPVT XXIII.*

**A**T fortè rarior hæc fuit tam periculosa persecutio: imò verò frequentissima, quæ omnem Ecclesie Christianæ ætatem affixerit: erant enim & Apostolorum temporibus, qui speciem pietatis præ se ferrent, virtutem eius abnegarent: qui domos penetrabant, & captiuas ducebant mulierculas oneratas peccatis, homines corrupti mente & circa fidem reprobi, quorum insipientiam omnibus aliquando Paulus aiebat fore manifestam: erant tum Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderant, asse-

2. Timoth. 3.

1. Timoth. 2.

1. Timoth. 1.

Ad Titum 1.

G

difces-

*Actor. 20.*  
*2. Ioan. 1.*

discessum ingressuros esse lupos rapaces, non parentes gregi: multosque seductores B. Ioannes Apostolus etiam tum exisse dicit in mundum. Et quænam obsecro fidei pars, progressu temporum non est ab hæresibus oppugnata? Et enim veritatis inimicus diabolus, à primis exorsus nostræ professionis articulis, de vno Deo atq; vno rerum omnium inuisibili principio, maxima statim grauiissimaq; bella suscitauit. Simulatque enim homines Christiani, suam aperte fidem profiteri, & quæ diuinitus acceperant, palam quoque cæteros docere, cœpissent, breueque illud verbum, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terre, omnium iam in ore credentium versaretur, prodierunt è scholis philosophorū, varijs argutijs instructi homines impij: qui prima religionis Christianæ semina, iam recens hominum cordibus mandata, quasi fluminum inundatione, obruere conarentur. Videbat enim diabolus, hominum animis à prophano idolorum cultu iam iam abstractis, fucum sese facere, hac quidem in parte, posse facilius, atque rudiores adhuc Christi discipulos, iam primum salutis iter ingressos, offusa eiusmodi errorum caligine, à proposito fine salutis abducere. Itaque se illi tum ministros ac satellites præbuere Simon Magus, Menander, Saturninus, Valentinus, Marcion, Cerdon, Gnostici, Patritiani, Seueriani, Manichæus, Seleuchus cæteri que eiusdem ordinis pietatis hostes: quorum eiusmodi erant impia & fabulosa commenta, vt effectori omnium Deo aut quædam creata subtraherent, eorumque procreationem non illi, sed angelis seu occultis quibusdam potestatibus assignarent: aut cum mala quædam esse suapte natuta, ab ijs insulsissimè crederentur, duo rerum principia duosque deos alterum bonum, malum alterum, & vnum lucis, alium tenebrarum esse confingerent. Et quis sine ingenti nausea prosequatur quas isti fabulas, siue de natura rerum atque principijs, siue de seculis varijs, magna inter se concertatione texuerunt? Diuersis enim fidei corruptionibus, vnoquoque seorsim scisma componente, proprias illi sectas, propriosque habere sectatores; diuersasque in partes fratrum scindentes vnitatem, per doctrinæ corruptellam, castum ecclesiæ cubile macularunt. Verum cum eius incrementa atque progressus, non modò his artibus non impedirentur, sed fugatis discussisque tenebris, illustrior seipsaq; constan-

constantior, in vnus Dei omnium effectoris ac moderato-  
ris cognitione, in dies euaderet; secundam est oppugnatio-  
nem aggressus: atque alterum pietatis fundamentum, quod  
vnus Dei hominumque mediatoris fide cōtinetur, sub ipsa  
nihilominus eiusdem professione demoliri conatus est: quæ  
quidem oppugnatio priore periculosior grauiorque videri  
iure debuit, quod iam hostis difficillimis in rebus, minus  
aperta fronte se proderet. Siquidem præter nomē Christia-  
num, vnus Dei principiique professione & pleniore confes-  
sione iam tectus, minus multis formidandus apparuit. Hoc  
illi in prælio fidelem operam præstiterunt Arrius, Sabel-  
lius, Apollinaris, Photinus, Pelagius, Nestorius, Eutices: per  
quos aut filio Dei Christo cum Patre æqualitas, aut naturæ  
humanæ integritas detrahebatur. Aut personarum in vno  
mediatore discretio, aut naturarū confusio statuebatur, aut  
certè Dominicæ mortis violabatur sacramentum, cuius vir-  
tus ad recuperandam iustitiam non necessaria diceretur. Et  
enim Arrius quidem gradus quosdam in Deo constituens,  
minoremq; asserens patre filium, Christum nobis, sine vera  
diuinitate reliquit. Sabellius cum inextricabili errore con-  
fusus, vnicam in Deo personam esse ex naturæ vnitatem colli-  
geret, patrem quoque naturam humanam suscepisse, in eaq;  
passum esse constituit. Photinus Pauli Zamosateni sequu-  
tus amentiam, nihil aliud esse Christum quàm hominē præ-  
dicauit. Nec verò Nestorius ab hoc pernicioso recessit er-  
rore, qui sola nominis communicatione, Mariæ filium cen-  
suit Dei filium appellandum: & eam quam Dei matrem  
tota semper Ecclesia credidit Christotocon nō Theotocon  
oportere nuncupari. Apollinaris in Christo diuinitatem ag-  
noscens, integram passus non est hominis in eodem rema-  
nere naturam. Quippe assumpta carne aut animā, aut certè  
mentem defuisse, quod eius vicem abundè suppleret ipsa di-  
uinitas. Eutices noui sacrilegij prophanus assertor, vnitio-  
nem quidem confessus est duarum in Christo naturarum;  
sed ipsa vnitio id dixit effectum, vt ex duabus vna rema-  
neret, nullo modo alterius existente substātia, quæ sanè fieri,  
nisi aut consumptione aut separatione, non posset. Pelagius  
superbo errore, naturæ asserens sanitatem, gratiæ Christi in  
eius morte preparatam respuit medicinam: dumque paruu-  
lorum nascentium negat sub diabolo captiuitatem, eorum

*Vide Leonē  
serm. 8. de  
natiuitate  
Domini, &  
serm. 4.*

*De Sabellio  
quiddam est  
apud Euse-  
bium lib. 7.  
eccles. hist.  
cap. 5.*

G ij

Christum

DE VARIIS PIORVM

Christum non credit esse redemptorem. Alij phantasticum non verum Christo corpus tribuerunt, vereque passum & mortuum esse negauerunt. Alij docuere Christum non nostræ corpus habuisse substantiæ, sed ab elementis superioribus subtilioribusq; sumptum esse, ac mundo redditum, cum post resurgens sine corpore in cælum ascendit. His igitur tam varijs erroribus, oppugnata est catholica de Christo fides: his fascino multi, suam in perniciem acti sunt precipites: his prædo grassabundus, per Christianum orbem circumuolans, captiuos abduxit multos ac perdidit. Cæterum & tertiam nihilominus nostræ professionis partem inuasit hostis acerrimus, ac de ipsa ecclesia mouere grauissimas lites coepit, vt dum hic offundit tenebras, errores quoscunq; velit introducat liberius. Et Donatistas quidem iam olim, ad oppugnationem rei huius impulerat: quorum aduersus ecclesiam castra communita, per annos complures, Africam occuparunt. Sed hac ætate præcipuè, varius est ac multiplex hostis exortus: cuius id agitur omni conatu, vt quænam, & vbi sit Christi ecclesia, domusque Dei, in qua nos oporteat conuersari, nesciatur. Itaque salutis humanæ, veræque pietatis perpetuus hostis diabolus, omnia molimina contra familiam Christi versans, cum eam externis persecutionibus oppugnasset, non destitit eandem malignis quibusdam viris seductoribusque repertis, intestinis bellis quaterere: vt fraudulentis, fallacesque homines, simulato tantum nomine Christianæ religionis induto, si quos fidelium persuasionis suæ fraudibus deciperet, mortiferis errorum laqueis implicatos, perderent. Atque hoc genere persecutionis, maximas tandem, vbique locorum, ecclesiæ ruinas dedit, orbem vniuersum labefactauit, florentissimas ecclesias, varijs scædatis erroribus, Antichristo possidendas tradidit. Namq; tanquam actis cuniculis, nomine Christiano, molimina sua & conatus occultans, tandem ipsum propè subuertit nomen atque calcavit; Qui mundum perfidia corrupit, prætextu Christianismi, effecit is tandem, vt nec Christianus vellet mūdus, magna ex parte, nominari. Deplorabat hoc Dominus per Prophetam, cum diceret: Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis: posuerunt eam in dissipationem, luxitq; super me, desolata desolata

*Hierem. 12.*

desolata est omnis terra : quia non est qui recogitet corde. Pastores enim intelligit Propheta multos, quales esse in populo Christiano, beatus Iacobus nolebat, cùm scriberet : Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. Magistri enim plures tunc fiunt, cum diuersa atque inter se aduersa sentiunt; cùm verò idipsum dicunt omnes, & verum dicunt, ab vnius magistri sententia non recedunt. Illi multi sunt, quia distracti atq; diuisi: in catholica verò, vnus prædicatur pastor: quia per adhaerentes ac subiectos vni multos, vnitas fidei cōseruatur. Illorum igitur studijs ac perniciosis erroribus, exufflatur fides, corrumpitur religio: pars domini, quæ in hominibus est conculcatur, & quæ ex deserto frugifera floridaque facta erat, rursus in solitudinem, hoc est, vastum & sterile, atque incultum horridumque domicilium, redigitur. In quo dracones alta pace requiescant, & errorum viriorumque spinæ ac vepres, nemine refecante, cuncta operiant. Ac, ni fallor, de veteribus vmbrijs, quiddam simile reperio, si ex quarto Regum libro repetam, quæadmodum abductis in captiuitatem Israëlitis, gentes variæ, Samaritanis vrbibus occupatis, & dominum se colere profitebantur, & tamen vnaquæq; proprium quem sibi finxerat, colebat Deum. Sic enim corrupto & profligato Christianismo, varij tanquam dii proprij, introducuntur errores: quibus tamen colere se Christum, qui eos sectantur, confidenter prædicant: sed tam falsò profectò, quàm se illi dominum colere, in sua deorum varietate credebant.

Iacobi 3.

4. Regū 17.

*Propinquante mundi sine hereticorum & scismaticorum  
atque apostatarum persecutiones crebrescere.*

## CAPVT XXV.

**I**Taque persecutionis hoc genus, quod ab ipsis Ecclesiæ incunabilis cœpit, nō modò temporum lapsu sopitum non est, verum etiã creuit magis magisque, vt quæ posteriora, eadem deteriora quoque & periculosa tempora videantur, hoc nimirum Apost. ipse præuidebat, cùm diceret: Erunt in nouissimis diebus tempora periculosa, & recedent quidã à fide. Et beatus Petrus Dominici pastor ouilis: Fuerunt verò & pseudoprophetæ, inquit, in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas

1. Timoth. 4.

2. Pet. 2.

G üj perdi-

perditionis: & multi sequentur eorum luxurias, per quos  
via veritatis blasphemabitur: qui in errore conuersantur, li-  
bertatem illis promittētes, cum ipsi serui sint corruptionis.

2. Pet. 3.

*In libro de  
simplicitate  
prælatorū.*

Et iterum: Hoc scientes, inquit, quia venient in nouissimis  
diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias  
ambulantes. Nam cum & horum seculo tales essent, cur fu-  
turos eos dixere, nisi quia tantò futuri erant plures, quantò  
magis finis propinquaret? Malum hoc, inquit Cyprianus,  
iam pridem cœperat, sed nunc creuit eiusdem mali infesta  
clades: & surgere & pullulare plus cœpit hæreticæ puer-  
sitatis & scismatum venenata perniciēs. Hoc sanctus ille de  
sui temporis persecutione dixit. Quid diceret idem, si no-  
stra ipse tempora videret? In quæ profectò tempora om-  
nium sordes errorum, tanquam in sentinam confluisse vi-  
dentur. Nulla hæresis tam antiqua & sepulta, vt non exci-  
tanda & ab inferis reuocanda videatur: tam foeda nulla, quæ  
non ad amplexum, satis honesta putetur: nulla tanto errore  
desipiens, quæ non fascinatis multis, vera dicere existimetur:  
eaque omnino est perturbatissimæ huius ætatis infelicitas,  
vt nihil penè Christianæ doctrinæ integrum relinquatur: &  
concusso emotoque veræ religionis fundamento, certissima  
quæque aut in dubium reuocantur, aut tanquam falsa & ab-  
surda & risu digna respuuntur. Nos libero spoliatur arbi-  
trio, quo nihil erat in hominum natura præstantius; & sua  
Deus providentia, etiam humanis officijs necessitatem af-  
ferre creditur. In autorem rerum referuntur creaturæ scelerata,  
summo bono, pessima tribuuntur: Lux illa propter immen-  
sam sui claritatem inacessibilis, vitiorum tenebris obscu-  
rantur: summa iustitia, iniquitate: summa bonitas, malitia:  
summa sapiētia, insipientia: summa mundities, peccatorum  
sordibus aspergitur. An non legitur in istorum libris, quos  
nunc ab infernalibus furijs ætus mundus admiratur, haud  
minus proditiōnis Iudæ, quàm pœnitudinis & lachrymarū  
Petri, authorem extitisse Deum? Quid autem est blasphe-  
mia, si non hæc blasphemia est? Sanctorum opera innume-  
ris scripturarum locis commendata, & digna æternæ vitæ  
mercede iudicata, contaminantur, polluuntur, & cum ha-  
beant largitorē Christum, effectoremq; Spiritum sanctum,  
nauo tamen peccati singula deformata, pronuntiantur. Nihil  
ieiunia, quibus iram Dei Ninivitæ placarunt: Nihil eleemo-  
synæ,

Iona 3.

synæ, quæ peccatorum incendia, instar aquæ, restingunt: Nihil orationes, quarum, ad impetranda Dei munera, vis maxima diuinis in literis prædicatur: Nihil, inquam, hæc omnia momenti, ad parandam iustitiam habere putatur: sola fides, si superis placet, nunc homines in cælum subuehit. Et quamnam obsecro fides? hanc enim ingerunt nouam atque inauditam: quæ sine sacramento iustificat, quæ sine sacrificio reconciliat: quæ non per opera saluat. Quid? quod hæc ipsa quoque illos fides orare dedocuit? Dum enim persuasum habent, credi oportere per Christum remissa sibi iam esse peccata, nesciunt ex ea fide precari, Dimitte nobis debita nostra. Per hos quoque poenitentia de peccatoribus exclusa est, grauissimorum etiam delictorum memoria sublata est: operiuntur per hos morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis infixis visceribus, damnato contritionis dolore contegitur. Purgatorium præterea tollunt, & solum sibi relinquunt infernum, quia cælum immundos non recipit. Defunctorum animæ usque ad extremum iudicium, longo per hos somno consopitæ somniantur, nec auditur ex euangelio diuitis epulonis clamor, quem ingens dolor extorquet: Neque his vouisse virtutis, neque votum violasse, perfidia est. Sic frena permittuntur libidini, & naturalis carnis ardor, qui in adolescentia plerumque feruescit, etiam (proch nephas) diuini verbi hortatibus duplicatur, imò extinguitur, & coitu sacrilego sceminarum: Sacrificium tollitur vt Deus non colatur, iamque sibi diabolus sacrificari postulet liberius. Sacramenta à Christo instituta, partim conculcantur, partim in numerum inefficacium reiecta signorum, facile negliguntur. Ecclesia inuoluitur tenebris, vt nec videri nec adiri, nec vbi sit, sciri prorsus possit. Iusti semel cadere non possunt, cum & David, & Salomon, & Petrus scèdè grauiterque prolapsi sint: securitas regni possidendi ex fide concipitur, cum nec primus parens ante lapsum miseris mortalibus foelicio, hac fuerit securitate Donatus, nec Paulus securus sibi visus sit, qui castigabat carnem suam, & in seruitutem redigebat, ne fortè cum alijs prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Nunc quoque illis maximè verbis lamentari licet. Periculum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas esse, quot mores; & tot causas blasphemiarum pullulare quot

Eccles. 3.

Tobie 12.

Psalm. 101.

Matth. 17.

1. Corinth. 9.

Hilarius li-

bris duobus

altero ad

Constantium,

altero ad

Constātem.

G iij

vitia

DE VARIIS PIORVM

vitia sunt, dum aut ita fides scribitur, vt volumus : aut ita vt volumus, intelligitur . Sic plurimæ cœperunt esse fides, ne vlla sit. Imò verò annuæ menstruæque de Deo fides decernuntur . Nouis subuertuntur vetera : noua ipsa rursus in nouata, emendatione scinduntur : emendata autem iterum emendanda condemnantur. Hoc enim, vt olim Arrianis, ita nostris hæresiarhis hisce tēporibus accidit manifestissimè, quod imperitis ædicatoribus, quibus sua semper displicet, accidere solet, vt semper destruerent, quod semper ædificarent . Omnes denique nunc scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prædicant. Quoniam autem in incredibili varietate, atq; etiam pugna & conflictatione dogmatum, non eadem suscipiuntur ab omnibus, fit, vt rerum Christianarum foeda facies, & nimium dilacerata scissuris appareat. Adeoq; iam inflicta vulnera, multorum animositate durarunt, vt putrefactione vulnerum, etiam dolor amissus sit, quo solet medicus implorari : videre profectò est, quanta passim, & quàm miserabili foeditate, Christianæ domus familiaque turbatae sunt : Mariti & vxores ( vt Augustini verbis mala nostra deplem,) Mariti, inquam, & vxores, de suo lecto sibi consentiunt, & de Christi altari dissentiunt : per illum sibi iurant, vt inter se pacem habeant, & in illo habere non possunt : Filij cum parentibus vnā domum habent, & domum Dei non habent vnā. Succedere in eorum hæreditatem cupiunt, cum quibus de Christi hæreditate rixantur ; Serui & domini communem Deum diuidunt, qui formam serui accepit, vt omnes seruiendo liberaret . Sed huius seculi tenebras erroresque pestiferos ac scissuras commemorare quid pergo ? quæ mala etiam hac terrarum in parte, & quidem sub professione nominis Christiani, propè sunt innumera. Iam verò cetera ille (cuius antea meminit Cyprianus) si spectaret, iacètes & prostratas videret toto propemodum orbe terrarum, Christi ecclesias ; in quibus & Aphricæ suæ ruinas, non sine luctu, cognosceret : heu quàm multæ nunc gētes, etiam crucis deseruere vexillum, & aduersus sanctam ciuitatem, parricidalia quotidie arma suscipiunt. Non iam in his Paulus reperiret suo labore fundatas ecclesias : nō Ioannes Asianos suos agnosceret : non Marcus Alexandrinos, quibus sanctissimè præfuit, Christianis in castris, militare conspiceret ; perijsse iam labores sudoresq; suos, in maxima mundi

Epist. 147.

mundi parte, Apostoli deplorarent: frustra iam martyres  
 fidei antiquæ literas, suo obfignatas sanguine demonstra-  
 rēt. Ereptas sibi diabolus recuperavit sedes: doctissimorum  
 & sanctissimorum quōdam patriarcharum cathedras occu-  
 pauit: Domum vacantem inuenit, assumptisque septem spi-  
 ritibus alijs nequam, effecit, vt essent posteriora deteriora  
 prioribus. Quid enim (vt alias taceam) secta Machometi  
 impurius? quid plenius ea vanitatis atque impiæ supersti-  
 tionis? vicit tamen ea populos multos, & à vexillo crucis  
 abduxit: amplissima regna, florētissimas prouincias sui am-  
 plitudine comprehendit; magna profectō & manifesta pars  
 eius bestię, quam Ioannes septem capitibus cornibusque  
 decem instructam, de mari ascendentem vidit, hoc est, impiæ  
 & superbæ ciuitatis, confusissimæque Babylonis: ad quam  
 pertinent omnes ij, qui res confusione dignas gerunt, in qua  
 bestia, & pardi varietas, propter gentium impietatumq; di-  
 uersitatem, & visi pedes, propter malitiæ vefaniam violen-  
 tiamque nocendi, & os leonis, propter superbiam linguæ  
 conspicitur. Hæc erim & Deum & eius tabernaculum, id  
 est, Ecclesiam sanctam, eosque qui in cælo habitant, in se sta-  
 tur blasphemijs: hui: datum est bellum facere cum sanctis &  
 vincere eos, dataque est huic potestas in omnem tribum, &  
 populum, & linguam, & gentem: hanc sequuntur & ado-  
 rant, & tanquam iruictam eius omniaque superantem vir-  
 tutem admirantur i, quorum non sunt nomina scripta in  
 libro vitæ agni: ad hanc denique adorandam bestia altera  
 multos adducit, quæ cum habere duo cornua similia agni  
 conspicitur, non vix in ea draconis, non veneni vis morti-  
 fera (vt antea dictum est) pertimescitur, non bestię prioris  
 imago reijcitur, sed falsa fidei professione, & non veraci ef-  
 figie, sed fallaci imagine Christiani, beluinæ semina vitæ  
 conteguntur. An non ad illius bestię cultum, hæreses istæ sua  
 varietate præparari videntur? Non ad illam suscipiendā ac  
 venerandam, sensin iter ac viā perditis hominibus aperiunt?  
 Quid istę sibi quorundam perditorum voces volunt, quibus  
 se Turcas esse malle quàm Papistas dicunt? Græcas verò  
 ecclesias illius sub iugum quid redegit? nisi sedi Apostolicæ  
 semper repugnans imbitio? nisi hæreses & scismata? Tem-  
 pus fuit, cum eleuato Dominus signo sibilaret ex illius terre  
 partibus, ad eas crucifixum, aduocans: Nunc (proh dolor)

*Apocal. 13.*

*Isidorus lib.  
 12. Etymo-  
 log. cap. 1.*

DE VARIIS PIORVM

*Apocal. 20.*

receptus aliquando, & adoratus, & cultus, ab impijs gentibus exhibitus est. Hoc itaque magis magisque agitur, vt castra sanctorum cingant Gog & Magog, neque vsquam sit dilecta Deo ciuitas, vbi non aduersantium hostium & crebro impetu quatiatur, & insidijs periclitetur. Neque enim gentes istae quae appellantur Gog & Magog, sic accipiendae sunt, tanquam aliqui sint in aliqua terrarum parte barbari constituti, siue quos quidam suspicantur Getas & Massagetas, siue alios aliquos à Romano iure seiunctos. Toto namque terrarum orbe significati sunt isti esse, cum dictum est: Et seducet gentes quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog & Magog, quod interpretatur testum & detectum, vt intelligatur ecclesiae aduersarios partim testos, cuiusmodi sunt haeretici & scismatici, qui fallunt sub nomine Christiano, partim detectos, & apertos futuros, vt ij sunt per magna iam orbis in parte, qui nomen Christianum abiecerunt. Hos omnes diabolus princeps tenebrarum, congregaturus est in praelium, quorum est numerus sicut arena maris: & ascendent super latitudinem terrae, & circuibunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam. Nec tamen illa vnquam militia suam deseret, quae vocabulo est appellata castiorum. Sic, ait Cyprianus, occidente mundo fieri oportebat, praenuntiante per Apostolum, & praemonente Spiritu sancto, In nouissimis diebus erunt tempora molesta, & erunt homines sibi placentes, tumidi, elati. Adimplentur quae nunquam praedicta sunt, & appropinquante seculi fine, hominum pariter & temporum probatione venerunt: magis ac magis, aduersario faciente, error fallit, extollit stupor, liuor incendit, cupiditas excecatur, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira praecipitat. Sic & Augustinus dixit, Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crebescunt errores, crescit iniquitas, crescit infidelitas. Non enim nesciebat in euangelio scriptum: Filius hominis veniens, putat inueniet fidem in terra? Laetantius quoque persuasionem hanc fidelium, ex sacrarum literarum certissima denunciatione, collectam, eiusmodi verbis expressit. Propinquante inquit, huius seculi termino, humanarum rerum statum conmutari necesse est, & in deterius, nequitia inualecente, praedabi; vt iam nostra haec tempora, quibus iniquitas & malitiaeque ad summum gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, felicia

*Lib. de simplicitate  
praetatorum.  
2. Timoth. 3.*

*Tract. 25. in  
Ioannem.*

*Luc. 18.  
Lib. de diuino premio,  
cap. 15.*

foelicia & propè aurea possint iudicari. Ita enim iustitia rare-  
 scet, ita impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido cre-  
 brescet; vt si qui tum forte fuerint boni, prædæ sint scelera-  
 tis, ac diuexentur vndique ab iniustis: soli autem mali opu-  
 lenti sint, boni verò in omnibus contumelijs atque in ege-  
 state iactentur. Confundetur omne ius, & leges peribunt.  
 Nihil tum quispiam habebit, nisi aut quæsitū aut defensum  
 malè; audacia & vis omnia possidebunt. Non fides in ho-  
 minibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas  
 erit. Atque ita neque securitas, neq; regimen, neque requies  
 à malis vlla. Omnis enim terra tumultuabitur, fremet vn-  
 dique bella, omnes gentes in armis erunt, & seinuicem ex-  
 pugnabunt, ciuitates finitimæ inter se præliabuntur. Hacte-  
 nus Lactantius. Ea verò res, memorabili illo sacrificio mi-  
 rabiliter adumbrata reperitur, quod offerre quondam ius-  
 sus est, Abraham fidelium pater, sic enim scriptum est dixisse  
 illi Dominum: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & ca-  
 pram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoq;  
 & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per me-  
 dium, & vtrasq; partes contra se altrinsecus posuit, aues au-  
 tem non diuisit: descenderuntque volucres super cadauera,  
 & abigebat eas Abraham. Cùm autem sol occumberet, so-  
 por irruit super Abraham, & horror magnus & tenebro-  
 sus inuasit illum. Cùm autem iam sol occubuisset, facta est  
 caligo tenebrosa, & apparuit clibanus, fumans & lampas  
 ignis transiens per diuisiones illas. Neque oscitanter præ-  
 tereundum est, quod dictum eodem loco legitur cincto hor-  
 roribus Abrahamo: Scito, ait, prænoscens, quia peregrinum  
 futurum est semen tuum in terra non sua, & subijcient eam  
 seruituti, & affligent eam quadringētis annis. Veruntamen  
 gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo, dicit Dominus. Et  
 post hæc egredientur cum magna substātia. Quid igitur hîc  
 accipimus, nisi peregrinantis in terris ecclesiæ, atque à ma-  
 lis hominibus magis magisque progressu temporum affli-  
 gendæ, cursum vsque ad supremi iudicij diem, adumbratum  
 nobis esse? Ecclesia quippe fidelium, quæ verum est Abrahæ  
 semen, initio in fide Trinitatis Christi que fundata, postea-  
 quam hominibus carnalibus abundare cœpit, continuò di-  
 ruptionem ac scismata persequutionesq; graues ab his per-  
 pessa est: vna interim atque integra persistens, in societate

Genes. 15.

sancto-

sanctorum: quorum etsi alij à negotiosis hominum conuersationibus sese remoueant, vt turtur, alij inter illos degant, vt columba, omnes tamen conseruant vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quid autem sunt volucres in diuisa caduera inuolantes? nisi incentores scismatum daemones, qui humanis vitijs atque erroribus, haud secus atque nos cibo pascuntur atque oblectantur. Sed quid agat Abraham cum occidente sole, id est, mundo iam in suum finem inclinato, horror eum magnus & tenebrosus inuasit? Quid agat pius fidelis? erroribus contenebrato iam mundo, & varijs malorum poenis afflicto? nisi vt cum pace optet sepeliri, expectans sibi quidem magnam aeternorum bonorum in caelo substantiam, fumantem verò inferni clibanum, ijs quidem omnibus, qui ad vnam columbam & turturem non pertinerint, at ijs praecipue, qui per haereses & scismata Christi corpus immaniter lacerant atque dirumpunt. His enim peculiariter, vt Petrus inquit, Caligo tenebrarum reseruatur. Et hi sunt tamē qui hoc in fine seculorum ecclesiam Christi reflorescere, atque euangelij lucem haecenus, vt aiunt, obrutam, Pontificum Romanorum tyrannide, sua iam opera refulgere gloriantur. Nempe lucem tum esse maximam volunt, cum diuinæ literæ plurimū tenebrarum comminentur. Tum incipere fidem praedicari & suscipi à plurimis, cum se dicat filius hominis vix fidem inuenturum in terris. Denique tunc fundari & erigi passim Christianas ecclesias, cum earū grauissimæ creberrimæque ruinae, secundum literarum sacerarum certissimas praedicationes, metuatur. Quis non hoc igitur tam serò venientes, satanae potius ministros esse perspiciat, per eos dicentis: Lucem tenebras, & tenebras lucem, perfidiamque pro fide, suorum assidue voce praedicantis?

a. Petri a.

*Querimonia fidei catholica ob persecutionum frequentiam,*

CAPVT XXVI.

**A**ccerrimè autem ille atque omni tempore persequitur fidem, quòd hac sublata non nesciat quātò facilius triumphet omni genere victoriæ. Cùm enim tenebrarum sit princeps, extincto fidei lumine, certius sibi in errorum tenebris, victoriam & regnum pollicetur. Sed hanc cur homines tantis persecutionibus premunt? cur splendidissimam maximeque salutarem animorum lucem oderunt?

oderunt? Cur huic nulla pepercit ætas, nullus ordo, non aliqua in parte semper est aduersatus? Nonne si nobiscum illa ageret vocibusque vri posset, sic merito exoptulantiem & conquerente audiremus? Ingratum genus mortalium, dum in suam perniciem caeca cupiditate rapitur, omni tempore ea quidem insectatur hostiliter, quæ suscepta salutem afferunt: sed ego me illam esse arbitror, quam maximè omnis ætas pertinacissimis agitata odijs semper est delere conata. Atqui meo beneficio, & iustè, & beate viuitur, neque salutis iter hominum quisquam ingreditur, facem ei nisi prætulerim. Per me quo sit totius vitæ cursu contendendum, & qua sit eundum, ostenditur; ac nisi mea luce humanæ mentis tenebras discussero, perpetua neceffe est ignorantia in nocte versetur. Hanc ego meis radijs illustratam, omni errore libero, & posteaquam se hic mihi, paululum intelligendi auiditate repressa, submiserit, eandem obediëntiæ suæ præmium reportaturam, ad Deum videndum introduco. Suaue hic Christi offero iugum, atq; ad veram libertatem primam aperio: cumque varijs hostium incursionibus vita sit mortalium exposita, ego & detego insidias, & vires, atque arma ad victoriam subministro. Ego me illam esse dicere audeo, sine qua nec habuit Deus Opt. Max. nec habere possit verum cultorem in terris. Me pereunte, charitas exulare cogitur, nemini spes potest esse solatio, & pace profligata alij in alios beluina feritate profligant, Iustitiæ arcem sine me quisquis conatur erigere, vano se & casto labore consumit. Fundamentum oportet mea iaciatur manu, tum ceteras sacri edificij partes, virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, fraternitatis amorem, charitatem, ipsa quoq; subministro. Ac ne quisquã in opere necessario perniciose præsumptione labatur, iubeo naturæ imbecillitati diffisos ad Christi mediatoris auxilia conuolare. Huius in terra commonstro familiam clarissimis indicijs, è qua sola iustitiæ sacrificium lubens odoratur, quam solam aduersus antiqui serpentis insidias paterna protectione tuetur, quam postremo qui matrem habere noluerit, is Deum patrem habere non possit. Meis auctus bonus populus Israeliticus quondam floruit, & à paruis crescens inijs, me adiutrice inuictissimas vrbes cepit, amplissimas ac robustissimas gentes aut sedibus expulit suis, aut bello deleuit. Sed is me tandem ali-

quando

DE VARIIS PIORVM

quādo reiecta, cum propterea periisset, authoris mei Christi familiam, meam in tutelam suscepi. Quæ nisi meis fuisset focunda feminibus, nunquam breui adeo temporis spacio, terrarum orbem impleuisset, ac nisi meis fuisset communita præsijs, nunquam tot hostium insultus, singulari fortitudine perfregisset. Denique nisi meis artibus egregiè fuisset instructa, neque sibi philosophos argutissimos adiunxisset, neque superbos reges, terræque principes, ad Christianam humilitatem deposuisset. Sed cum ego quæcunq; sunt salutaria aut grata mortalibus, semel fugata reduxero, iustitiam, pacem, libertatem, vitam, salutem, immortalitatem, tamen pro his omnibus spreta repudior, cateruasque patior contradicentium. In me vnā cunctis argumentorum machinis, vim telorum ingentē venenata linguæ facundia suggerente, humanū armatur ingenium, cuius impetus cum omni tempore sensi graues, tum hac ætate acerrimos maximeq; varios ex omni parte perpeffa sum: quibus omnibus summa contentione id agitur, vt Christi familia, quam meo semper lacte nutriui, & Christiana religio, quam meo soui calore, ex omnibus terrarum angulis dissipetur.

*Non esse verendum ne persecutionibus plurimis  
fracta omnino succumbat ecclesia.*

CAPVT XXVII.

*Cyrr. lib. 1.  
epistolarum,  
epistola 4.*

**V**erum hæc nos persecutionum frequentia ruinaq; multorum, perturbare minimè debet. Mouere, inquam, nos non debet, si apud quosdam in nouissimis temporibus, aut lubrica fides nutat, aut Dei timor apud irreligiosos vacillat, aut pacifica concordia non perseuerat. Prænunciata sunt enim hæc futura in seculi fine, & domini voce atque apostolorum contestatione prædictum est. Deficiente iam mundo, atque propinquante Antichristo, bona quæque deficere, mala verò & aduersa proficere, non sic tamen quamuis nouissimis temporibus in Ecclesia Dei aut euangelicus vigor cecidit, aut Christianæ virtutis & fidei robur elanguit, vt non supersit portio sacerdotum, quæ minimè ad has rerum ruinas & fidei naufragia succumbat: sed fortis & stabilis honorem diuinæ maiestatis & sacerdotalem dignitatem, plena timoris obseruatione, tueatur. Meminimus & tenemus, succumbentibus licet ac cedentibus cæteris,

*1, Macha. 2.*

ceteris, Matathiam legem Dei vindicasse fortiter: Heliam *3. Regū 19.*  
 Iudæis deficientibus atque à religionē recedentibus, stetit  
 & certasse sublimiter: Daniele nec solitudine religionis *Danielis 3.*  
 alienæ, nec persecutionis assiduæ infestatione deterritum  
 frequenter ac fortiter gloriose dedisse martyria. Tres item  
 pueros nec armis nec minis fractos, contra ignes Babylo-  
 nios fideliter obstinisse, & victorem regem in ipsa sua capti-  
 uitate vicisse. Vident vel præuicatorum numerus, vel pro-  
 ditorum, qui nunc in Ecclesia, contra ecclesiam surgere, &  
 fidem pariter & veritatem labefactare cœperunt. Permanet  
 apud plurimos sincera mens & religio integra, & non nisi  
 Domino & Deo suo anima deuota, nec Christianam fidem,  
 aliena perfidia deprimit ad ruinã, sed magis excitat & exal-  
 tat ad gloriam. Quò pertinere arbitror quod scriptum in  
 Psalmis sic est: Congregatio taurorum in vaccis populo- *Psal. 67.*  
 rum, vt excludant eos qui probati sunt argento. Quo loco  
 (interprete quidem Augustino) hæreticos taurorum nomi-  
 ne propheta significat, propter superbiam duræ indomitæq;  
 cervicis. Vacca autem populorum, seductibiles animas vo-  
 luit intelligi, quòd tauros hæc facillè sequerentur. Neque  
 enim populos seducunt vniuersos, in quibus sunt graues &  
 stabiles non pauci, propter quos dictum est: In populo gra- *Psal. 34.*  
 ui laudabo te; sed in ijs valent populis, quos vaccarum in-  
 morem lasciuia carnis insolentes atque instabiles reddit. Ex  
 his enim sunt, qui penetrant domos & captiuas ducunt mu-  
 lierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs  
 erroris, semper discentes, & ad veritatis scientiam nunquam  
 peruenientes. Quod autem ait idem Apostolus, Oportet & *1. Corint. 11.*  
 hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant in vobis. Hoc  
 ipsum expressum in psalmo his verbis est: Vt excludantur ij  
 qui probati sunt argento, id est, qui probati sunt eloquijs  
 Domini: de quibus illud est apud eundem Psalmographum:  
 Eloquia Domini eloquia casta, argentū igne examinatum *Psal. 11.*  
 probatum terræ, purgatum septuplum. Excludantur autem  
 hoc argento probati, hoc est, appareant atque emineant, &  
 quemadmodum loquitur Apostolus, manifesti fiant in no-  
 bis. Nam & in arte argentaria exclusores ij vocantur, qui de  
 massa confusa & informi, vasis cuiuspiam formam norunt  
 exprimere. Itaque cum multi diuinarum literarum sensus  
 lateant, paucisque intelligentioribus perspecti sint, neque af-  
 serantur

serantur

DE VARIIS PIORVM

ferantur commodius, nisi cum respondendi hæreticis cura compellit, sit illis exurgentibus, vt etiam qui negligent studia doctrinæ, sopore discussõ ad audiendi excitentur diligentiam, vt aduersarij refellantur. Inimici enim omnes ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur: si accipiunt potestatem in corpora sãuendi, exercent eius patientiam: sin tantummodo prauè sentiendo aduersentur, eius exercet sapientiã: vt autem etiã inimici diligantur, exercent eiusdem beneuolentiam, atq; etiam beneficentiam. Ideoq; diabolus princeps impiæ ciuitatis, aduersus peregrinantem in hoc mundo sanctam ciuitatem, vasa propria commouendo, non modò non vincere sinitur: sed neque nocere permittitur, cui proculdubiò & rebus prosperis cõsolatio, vt non frangatur aduersis, & rebus aduersis exercitatio, vt non corrumpatur prosperis, diuinę prouidetiæ benignissima cura procuratur: vt in psalmis illam vocẽ non aliunde agnoscamus exortam. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ac multos quidem quotidie cernimus siue prosperitate corruptos, siue erroribus fascinosos, siue fractos aduersis, in propriam ferri perniciem. Sed quid si fidelium quidam exciderunt? nõ quid eorum incredulitas fidẽ Dei euacuauit? Absit: est enim Deus verax, omnis autem homo mēdax, & Dominus quoque in euangelio cum eũ loquentem discipuli relinquerent, conuersus ad duodecim dixit. Nunquid & vos vultis abire? Respondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Loquitur illic Petrus super quem ædificanda fuerat ecclesia, vnus loquẽs pro omnibus, atque ecclesię voce respondens & docens, quia etsi contumax & superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen Christianorum non recedit, & illi sunt ecclesia & plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Hæc igitur illa est ciuitas & domus super firmam & solidam fundata petram, vt frustra in eam flumina, frustra venti persecutionis irruat, quo impellant ad ruinam. Hęc illa est sanctorum ciuitas edificata super petram, aduersus quam portæ inferorum, id est, consilia & conatus machinationesque principis tenebrarum præualere non poterunt. Est hæc firmissimæ cuiusdam instar insulæ quæ oblatrantibus huius seculi fluctibus vadique tonditur, nec mouetur. Sit, licet ecclesia Christi in an-

August. lib.  
18. de ciuitate Dei.

Cypri. lib. 4.  
epistolarum,  
epist. 9. &  
lib. 1. 3.

Matth. 16.

tris,



DE VARIIS PIORVM

*Matth. vlt.*

*Ephes. 4.*

tutionem, de qua dictum est. Nouit Dominus qui sunt eius. Nec falso potest dixisse ego vobiscum sum vsque ad cōsum-  
 mationem seculi, nec frustra pastores & doctores in ecclesia  
 posuisse, sed planè ad consummationem sanctorum, in ædi-  
 ficationem corporis Christi, donec occurramus omnes in  
 vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei, in virū perfectum,  
 vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur  
 omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad  
 circumuentionem erroris. Sed sicuti alligatio diaboli est, nō  
 eum permitti exercere totam tentationem, quam vel vi vel  
 dolo posset cogendo fallendōve exerere, Ita eius solutio est,  
 cū diuinitus finitur totis suis suorumque viribus scire &  
 fallere. Quo modo in huius seculi sine soluēdus est, vt quā  
 fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cum ingenti  
 gloria sui redemptoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat. Neq;  
 enim vel solutus hostis, expugnabit eam, quæ diuinis semper  
 erit defensa præsidij: neq; tum defuturi sunt fortissimi qui-  
 dam milites, qui omnes eius insidias atque impetus, & ca-  
 ueant prudentissimè, & patientissimè sustineant. Ad hunc  
 verò finem multum iam profectò accessimus: magnas ini-  
 micorum vires, omnibus ecclesiæ locis, experitur, & prauū  
 ingenij ad fallendum, & crudelis atque inhumani ad scruē-  
 dum. Ligatus quidem ille mundi princeps & multis nunc  
 est, quos nouit Dominus, & semper fuit, eritque semper: sed  
 innumeros alios omni tempore fecit suos, atque ab Ecclesiæ  
 matris auulsos vberibus, ad eandem impiè persequendam,  
 & quoad fieri posset, opprimendam, diuersis sæpè tempori-  
 bus incitauit.

*Heretica persecutionis quæ sit occasio & origo.*

CAPVT XVIII.

*Epist. Iudæ  
 Apostoli.*

**Q**Uærat aliquis tam frequentis in Ecclesia persecu-  
 tionis, quænam esse possit occasio, quidue homi-  
 nes Christianos ad tam pertinax studium nouandę  
 religionis impellat? Visus est hæc Iudas Taddæus, in episto-  
 la posuisse cū diceret: Veh illis qui in via Cain abierunt, &  
 qui Balaam mercede effusi sunt, & qui in via Core perierūt:  
 Quibus sanè verbis primum notatur inuidia, cuius stimulis  
 ac facibus Cain est in paricidium incitatus. Deinde auaritia,  
 cuius cupiditas prophetæ Balaam obturauit oculos & cæ-  
 cavit. Postremo superbia, quæ aduersus Moysen & Aaron  
 Leuitas

Leuitas quondam erexit. Ac de auaritia quidem apertè dixit Paulus. Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis. Atque idem scribit de quibusdam, docere illos quæ non oportet, eaque ratione domos vniuersas subuertere turpis lucri gratia. Beatus quoque apostolorum princeps Petrus fore prædixit magistros mendaces, qui in auaritia fictis verbis de suis negotientur auditoribus. Quid enim tam sanctum quod non violari? quid tam munitum quod non oppugnari? quid tam purum quod non foedari pecunia possit? Et quid, vt ille ait, non mortalia pectora cogis, aui sacra fames? Notantur & alij, qui sibi placentes, sectas non metuunt introducere: per quos pericula temporum existere, persecutionumque cieri tempestates, Apostolus insinuat cum dicit: In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Tanquam enim interrogatus vnde hæc ori pericula possint; continuò subiunxit: Et erunt homines seipfos amâtes, cupidi, elati, superbi. Hinc igitur corruptus animus, cum sese proprijs oblectat inuentis, aliena contemnit, nouaque veteribus, & priuata publicis anteponeit: Hinc matrem ecclesiam derident iuniores tempore, & à qua, si quid veri sciunt, sapere didicerunt, eandem linguis petulantibus infestantur: Hinc ardescit in disputatione verborum contentio, quæ utilis non est, nisi ad subuersionem audientium. Ex hoc fonte prophanæ scaturiunt vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam, ait Apostolus, promittentes, circa fidem exciderunt. Sic altare cõtra altare erigitur: sic auita religio, sic sana Christi doctrina calcatur. Qui enim non acquiescit sanis sermonibus, ait Apostolus, Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemix, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, existimantiũ quæstum esse pietatẽ: hac superba animositate Christi vestis laceratur, vnũ eius corpus varias in partes distrahitur, blandisq; persuasionibus diuiduntur corpora & nomina pietatis: cõtra autoritatẽ promittitur ratio: cõtra vniuersitatis cõsensionẽ, obijcitur cælestis inspiratio, cõtra fidẽ dimicat intellectus. Vna hæc superbia est, quã iure omniũ hæ-

1. Timot. 6.

Titum 1.

2. Pet. 2.

Vergil. lib. 3  
Æneidos.

1. Tim. 6. d

Ibidem.

DE VARIIS PIORVM

*Aug. contra epistolam Fundamenti. ca. 6. Serm. de zelo & liuore.* tiorum matrem esse censuit Augustinus. Quid verò superbiae proles inuidia? num ita parenti possit esse dissimile vt pietatem quietam esse patiatur? Imò verò hæc infestissime persequitur. Hinc enim, ait Cyprianus, vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hereses atq; schismata prosilitur. Dū obrectatur sacerdotibus, dum episcopis inuidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterū ferre prepositum, hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione peruersus, animositate & liuore non hominis, sed honoris inimicus. Hoc malum, ait Chrysostomus, ecclesias subuertit, hereses peperit, fraternam manum armauit, & fecit vt dextera pio tingeretur cruore. Hoc stimulus vitio, simulque propter fugæ memorem iracundiam templum aliud in Aegypto quondam Onias extruxit, cū Hierosolymis locus esset in quo solo offerri sacrificia, iuxta Dei legē oporteret: Inuidēs enim præclaris veri ac legitimi templi successibus, omnem ab Hierosolymis multitudinem hoc pacto reuocare se posse sperauit: præsertim cū nec diuinæ scripturæ deesset patrocinium, prædicente

*Homil. de liuore.*

*Iosephus lib. 7. belli Iudaici, ca. 30. Rom. 16.*

*Titum 1.*

*2. Pet. 2.*

Esaia fore, vt in Aegypto domino templum extrueretur. Iam ingluuies cultusque ventris ac morum perniciofa licentia, si nihil ad turbas in ecclesia generandas valeret, non adeò sollicitè monuisset Apostolus his verbis: Rogo vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones & offendicula, propter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis, huiusmodi enim Christo domino non seruiunt, sed suo ventri. Et alio in loco, Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulāt, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant quos sæpè dicebam vobis, nunc autē & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem ipsorum qui terrena sapiunt. Christi igitur inimicos ventris amor efficit, nec possunt esse nisi Ecclesiæ hostes & perturbatores malæque bestiae, qui Christi vocenter inimici. Quomodo enim non perturbent, qui sunt tanquam nebulae turbinibus exagitate dæmonum atque vitiorum? facile verò subuertunt quamplurimos. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciūt in desiderijs carnis luxuriæ eos qui paululum effugiunt, libertatem ijs promittentes, cū ipsi serui sint corruptionis.

Facile

Facile in errorem inducunt sidera errantia, cum falsa lucis specie, infirmos ac clippientes vitijs terrenis oculos perstrinxerint. Denique, ait de quibusdam Apostolus, quòd repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt. Fides enim quæ sine operibus mortua est, Deo iustissimè deferente, citò frequenter amittitur, facileque cætera bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse: cum dignus sit perdere inutilem fidem, qui non exercuerit charitatem: atque ut in fide est operum ratio, ita vicissim in operibus (quemadmodum præclare Leo inquit) est fidei fortitudo. Quòd si ad fidei firmitatem vitæ valet integritas, profectò ad illam infirmam extinguendamque non mediocriter vitia conferunt. Ut enim est luminosa charitas, ita est ediuersò tenebrosa cupiditas, unde ille qui proximum oderit, ambulare dicitur in tenebris & nescire quòd eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Inde ergo schismaticorum nascitur secessio, qui ut demonstrent nescire se quòd eant, ab Ecclesiæ matris gremio, hoc est, à salute sua separantur. Quin & hinc magis pergunt in tenebras, dumque schisma nituntur tãquam ratione defendere, hæresim pariunt: disruptaque pace & violata charitate, ipsam quoque fidem celeriter abijciunt. Quid autem & superbia validius ad obcæcandum? ut enim tumor in capite carnis, oculos claudit: ita superbia, quæ tumor animi est, oculos mentis, contra veritatis lucem obfirmat. Hoc ita esse, gentilium philosophorum exemplo Paulus ostendit: qui dicentes se, inquit, esse sapientes, id est, hoc ipsum quod sapere videbantur, superbe sibi tribuentes, stulti facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. Præsumptionem sanè, hoc est, præceptorem pessimum, gignit superbia: dumque videre superbus se pulchrè putat, doctrinæ ministerium non admittit. Quid iam voluptatis amor? quòd non sublimitatem puræ antea mentis inflectit? An ignoramus Salomonem amore mulierum, ad idololatriæ dedecus defluxisse? aut hinc nasci idololatria poterit, falsæ doctrinæ sub nomine Christiano perniciæ, seu hæresis non poterit? Est ad hæc quoque non parùm vehemens gloriæ cupiditas, quæ ut multos ne crederent, impediuit: (quomodo enim, ait Saluator, vos potestis credere, qui gloriâ ab inuicem accipitis?) ita permultos ad nouandam religionem, persequendamque veritatem, incitauit. Quod enim veritati, ne

1 *Timoth. 1.*

*Prosper lib. 2. de vocatione gentiũ cap. 8. & 11. Leo serm. 5. de collectis & eleemosyna.*

*Ioan. 5. f*

DE VARIIS PIORVM

*Ca. 1. de vti- litate cre- dendi.*  
*In cap. 4. ad Galat. ad il- lud: Per cha- ritatē spiri- tus seruite inuicem.*  
*In cap. 4. ad Ephesios.*  
*In cap. 5. Esaiæ.*

suscipiatur cordis ianuam claudit, hoc ipsum ad noxios erro- res proferendos portas aperit latissimas. Itaque hæreticū non dubitauit Aug. eum esse dicere, qui alicuius temporarij commodi, & maximè gloriæ, principatusue gratia, falsas ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur. D. quoq; Chry- sostomus hæres. on matrem affirmat esse principatus cupi- ditatem & ambitionem, eamque Galathis sui erroris cau- sam docet extitisse. Idemque asserit in epistola ad Ephesios scribens, nihil esse, quod sic ecclesiam diuellere queat, atque ambitionē dominandi. D. Basilius quosdam abripi dicit in contrarias fidei sententias, propter simplicitatem, & vulga- rem loquutionem. Alios nec paucos, quod suam multis cupiant ostentare scientiam, per auiditatem accumulandæ pec- unia, perque inanem gloriam. Eamque ob rem referta esse cuncta pugnantibus inter sese sententijs, & ijs qui dogmata tradant, reclamantia suismet authoribus: quando singuli quique obstinatius insistant, suo dogmati tuendo.

*Varijs hæreticorum exemplis, doctrina superioris capituli illustratur. CAPVT XXIX.*

*Lib 10. hist. eccles. cap. 1. & Tripart. lib. 1. cap. 12. et lib. 7. c. 2. Theod. lib. 5. cap. 2.*  
*In lib. cōtra Valēimianos*

**E**T Arrium quidem presbyterum Alexandrinum, scri- bit Ruffinus virum fuisse specie magis & forma, quā virtute religiosum, gloriæ verò & nouitatis improbè cupidum. Quem proprii sensus amor eousque possederat, vt neminem tota ex vetustate censeret dignum, qui secum conferretur. Talis igitur cum esset, atque idem in cœtu, & ordine presbyterorum, auctoritatem haberet diuinæ scri- pturas interpretandi: indignissimè tulit in episcopatu sibi Ale- xandrum anteponi, inuidiæque stimulis agitur, cœpit dis- cordiæ & pugnarum occasiones quærere: eousque sanè, vt apostolicæ Alexandri doctrinæ, p. lam etiam refragari non vereretur. Atque ex hac veluti scintilla (quoniam statim op- pressa non fuit) tantum in Ecclesia Dei exortum incendium est, vt pro ea quæ tunc erat eius amplitudine, vix maius esse potuisse videatur. Et quia per huius Arrij factionem, misere- randum in modum Ecclesiæ vbique membra diuulsa & vis- cera dissipata sunt, iusta fuit etiam hic animaduersione per- cussus: vt cum alui purgandi gratia secessisset, vniuersa illi, cum ipsis incrementis, intestina defluerint. De Valenti- no, sic Tertullianus scriptū reliquit: Sperauerat, inquit, epi- scopatum

scopatū Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio: sed alium ex martyrij prerogatiua, loci potitum, indignatus de Ecclesia Autētica regulā abruptit, (vt solent animi pro prioratu exciti, præsumptione vltionis accendi) ad expugnādā conuersus veritatem, & cuiusdam veteris opinionis semini naetus colubroso, viam delineauit. Montanum quoque Phrigibus ortum, cupiditate nimia primatus accensum, tradunt contrarijs in semetipso locum dedisse spiritibus: ac repente in quodam excessu mentis effectum, ac velut spiritu cælitus actum, proloqui cœpisse noua quædam, & diuersa ab his quæ ex successione Ecclesiæ tradita fuissent. Tacianum etiam, qui Iustini fuerat auditor, magnamque sibi ex arte rethorica gloriam comparauerat: posteaquam ille martyr effectus esset, abscidisse se ab ecclesiasticis aiunt doctoribus; propterea quod arrogantia tumidus, & eloquentiæ opinione supra modum inflatus, proprium maluisset instituire docendi stilum, quàm eum sequi, quem à maioribus accepisset. Ideoque secula quædam inuisibilia, secundum Valentinum fabulas introduxisse: nuptias autem, vt fornicationē corruptionemque; pari lege damnasse. Nouatianus Romanæ vrbis presbyter, episcopatum Romanum ambiens, qui non est quod expetebat consequutus, secessionem à Cornelio fecit, & Nouatianorum, quod Græcè dicitur *καταγωγῶν*, sectam Romæ constituit, nolens apostatas recipere pœnitētes. Hos enim Ambrosius alloquens, Ideo, inquit, in Ecclesiam non conuenitis, quia per pœnitētiam tributa spes fuerat his qui lapsi sunt, reuertendi: sed hoc prætentum est specie. Cæterum episcopatus amissi dolore succensus Nouatianus, schisma composuit. Ad hunc Nouatianum causantem, quod Romæ inuitus esset ordinatus, Dionisius Alexandrinæ vrbis episcopus, monita saluberrima scripsit, eiusmodi verbis. Nolens ne ad sacerdotium fueris inductus, ita demum ostendes, si volens cesseris. Nam oportuit quiduis etiam hac perpeti gratia, ne discinderetur Ecclesia Dei, neque minus præclarum ex hoc contigisset testimonium, quod noluisse dissidiū inducere, quàm proficisci solet ex eo, si quis recuset simulachris immolare, atque adeo præclarius etiā mea quidem sententia. Si quidem ille vni, propriæque consulit animæ: hic totius Ecclesiæ negotium agit. Tametsi nunc quoque, si persuaseris, si compuleris fratres redire in cōcordiam, plus

*Lib. 5. eccle. hist. cap. 16.*

*Lib. 4. hist. eccle. ca. 29.*

*Lib. 1. de pœnitēt. ca. 15.*

*Ex epistola Cornelij ad*

*Fabianū An*

*tiochenū epi*

*scopū, ostēditur quis qua*

*lisve fuerit*

*Nouatianus,*

*apud Euseb. lib. 6. ca. 23.*

*eccles. hist.*

*facilis autē error fuit,*

*vt pro Nouatiano po*

*neretur Nouati nomen.*

*Epist. Dionysij ad Nouatianū, cōtinet Euseb. lib. 6. cap. 35.*

DE VARIIS PIORVM

egeris officio, quàm peccaris errato. sic ille ad Nouatianum. Cum autem esset hic suæ partis studiosissimus, non prius quemquam oblatus se sacrificij participem esse sinebat, imò verò ambabus manibus apprehensus non dimittebat prius, quàm iureiurando confirmasset, se neque deserturum eum, neque ad Cornelium rediturum esse. Porro Nouatiani schismatis author Nouatus, in Africa Cypriani presbyter fuit, is enim cum sua tempestate Romam nauigans, maiora illic et grauiora commisit. Nam qui in Africa aduersus ecclesiam diaconum sua factione & ambitione constituerat, Romæ episcopum fecit, nec dubitauit in ipso orbis capite, hoc est, in omnium oculis, altare contra altare erigere: sic videlicet Carthaginem Roma, pro sui magnitudine præcedere debuerat. Et hunc quidem Nouatum quis aut nosse plenius, aut aptius veriusque depingere queat, quàm D. Cyprianus? Nouatus, inquit, rerum nouarum cupidus, auaritia inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper istis episcopis malè cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus, omnium sacerdotum voce damnatus, curiosus semper vt prodat, ad hoc adulatur vt fallat, nunquam fidelis vt diligat; fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestatas ad fidei faciendâ naufragia, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus, pater eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus, vterus vxoris calce percussus, & portione properante, in parricidium partus expressus. Istiusmodi moribus igitur cum essent Nouatus & Nouatianus, haud mirum si nouas ac perniciosas ad impugnandam Christi Ecclesiam machinas instruxerint. Paulum Samosatenum, Antiocheni concilij patres, dum ad Dionysium Papam scribunt, suis ita coloribus depinxerunt, vt nihil appareat illo homine fuisse superbius. Magis enim se ducenarium, quàm episcopum videri volebat, incedensque plateam tam intolerabili fastu utebatur, vt epistolas publicè relegeret, atque in auditu omnium & oculis dictitaret assistentibus sibi in platea notarijs: directio quoque præuentium insequentiumque; quam plurima, vsque adeo grauis erat, vt omnes qui videbant, horrescerent, & detestarentur per illius arrogantiam religionem diuinam. Hæc in publico. Intra ecclesiâ verò tribunal sibi multò altius quàm fuerat extrui, & thro-

*Lib. 2. epistolarum, epistola 8.*

*Concil. tomo 1. apud Eusebium ecclesiast. hist. lib. 7. ca. 26.*

num

num in excelsioribus collocari iusserat. Secretarium quoque sterni & parari, sicut iudicibus seculi solet. Verbum verò faciens ad plebem, iactare supra modum dexteram, ac palmam foemori illidere, pede quoque subsultare, ac scabellum ferire cum fonitu: Ab auditoribus verò, non fauorem, non plausum sperare solum, sed theatri more, oraria moueri sibi expetebat, & vocem tanquã de caueis dari. Hæc non solum à viris, sed etiam à mulieribus indecenter expetebantur. Si quis verò auditorum honestius & verecundius agens, à clamore nimio temperasset, velut iniuriam faciens patiebatur iniuriam. Sed & antiquis & defunctis iam tractatoribus insultabat, & illis derogans, suas laudes inuerecundè impudenterque iactabat. Rethorem se magis quàm Ecclesiæ doctore laudari cupiebat. Psalmos verò qui in dominum nostrum Iesum Christum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos & nuper inuentos. In semetipsum verò compositos, diebus Paschæ in medio Ecclesiæ canere mulieres, maximè quas ipse prius ad canendum pro more instituerat, faciebat, ita vt horresceret si quis audiret. Nam cum ipse filium Dei negaret descendisse de cælo, sed à Maria cœpisse & initium habuisse de terra, psalmi qui in ipsum dicebantur, & quibus in populo laudabatur, angelum eum dicebant descendisse de cælis. Et hæc ipse assistens & audiens, non solum dici non prohibebat, sed elato supercilio delectabat audire. De mulieribus verò quæ cum ipso manebant, quid opus est dici? Ex quarum societate & contubernio, vt sibi nulla quæstio moueretur, etiam presbyteris & diaconis suis, his duntaxat qui ei morem gerebant, habendi mulieres secum similem licentiam dedit. Sed & congerendi diuitias tribuit facultatem, quo ipsi in similibus obnoxij, magistro nequaquam crimen impingerent. Sed hæc de Paulo Samosateno.

Praxæas, inquit Tertul. homo inquietus, & de martyrij *Lib. contra*  
iactatione inflatus, nouum peruersitatis genus, de vnica in *Praxæam.*  
diuinitate persona, ex Asia primus in Romanum transtulit  
solum. Hermogenes (vt idem author est) natura hæreticus,  
etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam existimet,  
& impudentiam constantiam deputet: & maledicere  
singulis, officium bonæ conscientiæ iudicet: Legem Dei in  
libidinem defendit, bis falsarius, & cauterio, & stylo: totus  
adulter & prædicationis & carnis. Marcion genere Pon-  
ticus,

DE VARIIS PIORVM

*Tertul. in lib. de hæres. et Aug. quæ in lib. de hæresibus ad Quodvult-  
decum.* ticus, episcopi filius, propter stuprum cuiusdam virginis, ab ecclesiæ communionem reiectus: ex occasione qua dictum est, Omnis arbor bona, bonos fructus facit, &c. Cerdonis hæresim de duobus dijs, altero bono, malo altero, approbare conatus est. Theodotus Bisantius, posteaquam Christum, pro eius nomine apprehensus, negavit, in Christum blasphemare non destitit. Hoc enim modo se casus sui deuitare posse putauit opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur. Quin & Tertullianus ipse (si D. Hieronymo credimus) cum ad mediam vsque ætatem presbyter ecclesiæ permansisset, inuidia postea, & contumelijs clericorum Romanæ ecclesiæ superatus, ad Montani dogma dilapsus est: odioque stimulatus aduersus ecclesiam, volumina de pudicitia, de persequutione, de ieiunijs, de monogamia, de ecclasi contextuit. De Photino vetus sententia est, quod multa continentia & ingenij bona, vno superbiæ malo perdidit.

*In lib. de ecclesiasticis scriptoribus.*

*Aug. cap. 6. cõtra epistolam Fundamenti, & Eusebius lib. 7. eccles. hist. cap. 27.*

*Ruffinus li. 10. hist. eccles. cap. 25.*

Manichæum impulit superbiæ spiritus, vt non missum se à paraceto vellet videri, sed ita susceptum, vt ipse paracetus diceretur. Quid autem Origenes? nempe hic (quem admodum id de eo scriptum reliquit Vincentius Lirinensis) dum gratia Dei insolentius abutitur; dum ingenio suo nimium indulget, sibi que satis credit, dum parumpendit antiquam Christi religionis simplicitatem; dum se plus cæteris sapere præsumit; dum ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capitula, nouo more interpretatur, factus ipse quoque est ecclesiæ magna tentatio. Eunomius vir corpore & anima leprosus, & interius, exteriusque morbo regio corruptus, quàm sibi de dialecticæ subtilitate blanditur, plusquam illam quam Dei verbum sequitur, disruptus ab Arrianis nouæ heresos partu scidit ecclesiam: scriptisque libris, & disputandi legibus institutis, fidem catholicam grauer est insectatus. Hoc igitur cum Macedonio religionis maiestatem ad nugas dialecticas reuocante, pestifera illa bestia, quæ per Arrium primo quasi de inferis extulerat caput, subito triformis apparuit.

Aerium D. August. referente, cum presbyter esset, doluisse ferunt, quòd episcopus non potuisset ordinari, ideoque in heresim Arrianorum lapsum, propria quoque dogmata addidisse nonnulla. Actius, vt & ipse viueret licentius, & alijs ad interitum, viam ampliorem & procliuiorem aperiret, docuit

docuit nihil cuiquam obesse quorumlibet perpetrationem, ac perseverantiam peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. Donatistæ cum primum propter Cecilianum, contra suam voluntatem ordinatum ecclesiæ Chartaginensis episcopum schisma fecissent, & posteaquam ille absolutus esset (quippe cui grauius crimina obiecerat) pertinaci animositate dissentione firmata, in hæresim schisma verterunt, tanquam propter crimina Ceciliani de toto terrarum orbe, Christi ecclesia periisset, breuiterque Optatus Mileuitanus, secessionis illius ac persecutionis demonstras originem. Schisma, inquit, illo tempore cõfusus mulieris Lucillæ iracundia peperit, ambitus nutriuit, avaritia roborauit. Quid verò nonnullos mouerit, vt continentia meritum noua prædicatione deprimerent, nullamque abstinentia, nullam frugalitatis gratiam esse, parique omnes pretio aestimari docerent. D. Ambrosius expressit in ea epistola, quam ad Vercellensem scripsit ecclesiam: In ecclesia, inquit, positi primo ieiunabant, intra monasteria continebantur, nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibrosæ disputationis licentia, hoc delicati non potuerunt ferre, abierunt, deinde volentes redire non sunt recepti: pleraque enim audieram quæ deberent cauere; monueram, nihil perferam. Efferuescentes itaque disseminare talia cœperunt quibus incentores essent omnium vitiorum. Miserabiles perdidit utique, quod ieiunauerunt: perdidit quod se aliquo continerent tempore. Nunc itaque diabolico studio inuidet aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt. Neque verò fuit horum in pios persecutio mediocris: Quæ enim virgo audiat nullum præmium esse virginitatis, & non ingemiscat, aut certè studia non deponat, suæque mentis intentionem inflectat? Aene prætereamus mulieres, quas ad hæreses difseminandas, aut etiam parturiendas, se penumero fuisse constat adiutrices, Priscilla & Maximilla relictis vicis suis Montani dogma sequuntur, cum essent opulentæ & nobiles feminae, ac spiritum propheticum se habere mentirentur, multas ecclesias auro primum, deinde nephandis dogmatibus corruerunt: ipsæ nihilominus sub oblationum specie, turpiter avaritiæ & rapacitati seruientes. Quid verò Pelagium, vt aduersus gratiæ auxilium, disputationis arma caperet, nisi superbix spiritus incitauit? Vfus autem est cooperator

*Aug. in lib.  
de hæresib.*

*Lib. contra  
Parmenianum.*

*Hierony. in  
epistola ad  
Ctesiphonem.  
Euseb. li. 15.  
eccle. hist. ca.  
16. & 18.*

*Lib. 1. hist.  
Anglorum,  
cap. 10.*

*Lib. 12. Tri-  
par. ca. 4. &  
sequentibus.*

*Epistola 13.*

ratore Iuliano, inquit Venerabilis Beda, quē dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitauerat. Nec silendum nobis iam puto Nestorium, cuius asserit Vincētius Lirinensis, tam sceleratam fuisse præsumptionem, vt sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicumq; ante se magisterij munere præditi, diuina eloquia tractauissent: atque adiungit plus semper in illo admirationis fuisse, quam vtilitatis: plus famæ, quam experientiæ, & opinione vulgi aliquandiu magis magnum factum humana quadam gratia, quam diuina. De hoc autem scriptum sic est in Cassiodori historia: Quibus moribus fuerit institutus, Sapientes, à primo eius sermone non latuit. Ordinatus enim decima die mensis Aprilis consulatu Fœlicis & Tauri, mox illam diuulgatâ coram omni populo protulit vocem, principem alloquens: Da mihi, ô Imperator, terram purgatam ab hæreticis, & ego cælum tribuo: debella mecum hæreticos, & ego debello Perfās. Hæc cum dixisset, licet quidam odio haberent hæreticos, tamen lenitas sensus eius, & indignationis initium, & vanæ glorię tumor, eis valde displicuit: quia neque paruulum tempus sustinens, in eiusmodi verba prorupit: & iuxta prouerbum, vt sic dixerim, cum neque ciuitatis adhuc gustasset aquam, persequutor feruentissimus apparebat. Sed, sicut ait scriptura, vinum non deesse ebriosis, neq; contentioso lites, sic quoque Nestorio amanti persequutionis, euenit vt semper persequeretur ecclesiam Dei. Cum enim eius presbyter Anastasius, aliquando pro cōcione dixisset, Mariam Dei genitricem nullus appellet, Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari, nimis est impossibile: hoc non modo Nestorius non coarguit, verumetiam ipse publicis sermonibus confirmauit. Hinc igitur orta in ecclesia diuisio est, nec mediocrem concussionem orbi terrarum, tepidissima illa Nestorij ratiocinatio concitauit. Eutichetis sanè monachi errorem magis ex imperitia, quam versutia natum, Leo Pontifex, dum ad Pulcheriam Augustam scribit, arbitratur. Sed errorem de proprio sensu natum superba obstinatio confirmauit. Quid autem iniquius, ait, quam impia sapere, & sapientibus, doctioribusque non credere? Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem, aliquo impediuntur obscuro; non ad propheticas voces, non  
ad Apo.

ad Apostolicas literas, non ad euangelicas auctoritates, sed ad semetipfos recurrunt: & ideo erroris magistri existunt, qui veritatis discipuli non fuere. Sanè Eutichen accusat martyr Vigilus, quod petulantis animi supercilio, antiquitus traditas à patribus fidei regulas, pro viribus deiecerit, vt à se confictas in ecclesiam induceret. Visum est hoc loco & Berengariū adiungere, quoniam eius spiritum hodie multi, & aduersus ecclesiam, erecta iam olim signa sequuntur. De hoc igitur Guitmundus Archiepiscopus Auerfanus, sic scriptum reliquit. Cum iuueniles adhuc in scholis ageret annos (vt aiunt qui eum tunc nouerunt) elatus ingenij leuitate, ipsius magistri sensum non adeò curabat, condiscipulorum pro nihilo reputabat: libros insuper artium contemnebat. Sed cum per se attingere philosophiæ altioris secreta non posset, neque enim homo ita acutus erat: sed & tunc temporis, liberales artes intra Gallias penè obsoleuerant: nouis saltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimium gaudet, singularis scientiæ laudem sibi arrogare, & cuiusdam excellentiæ gloriam venari, qualitercunque poterat, affectabat. Factumque est vt pompatico incessu, sublimi præ cæteris suggestu, dignitatem magistri potius simulans, quam rebus ostendēs, profunda quoque inclusione intra cucullum, ac simulatione longæ meditationis, & vix tandem satis desideratæ diu vocis; lentissimo quodam quasi plangore, incautos decipiens, doctorem sese artium penè inscius profiteretur. Sed postquam à D. Lanfranco in dialectica, de re satis parua est confusus, cumq; per ipsum D. Lanfrancum, virum æquè doctissimum, liberales artes Deus recalescere, atque optimè reuiuiscere fecisset, desertum se iste à discipulis dolens, ad eruētanda impudenter diuinarū scripturarum sacramenta, vbi ille adhuc adolescens, & alijs eatenus detentus studijs, nondum adeò intenderat, sese conuertit. Sed & ibi inspiens, (quippe in maleuolam animam non introibit sapientia) & ea quorum nouitate, omnium corda permoueret, atq; ad se omnium traheret, studiosè perquirens: maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei priuatè viuere catholicus. Tunc illa quibus mundanis hominibus, & (si inultè liceat) semper peccare cupientibus, placeret, aperuit: legitima videlicet coniugia, quantum in ipso erat destruens, & paruulorū baptisma euer-

*Lib. 1. cōtra  
Eutich.*

*Sapient. 1.*

euer-

DE VARIIS PIORVM

euertens : ita vt in altero ; peffimis hominibus diabolus per os eius , licite omnibus foeminis abutendum esse : in altero castato baptisate, infantia in profundum omnium malorum, vtpote postmodum baptisandis, impunè ruerè suaderet. Haëtenus de Berengario : cuius in doctrina, si hoc nephandum est, quòd legitima connubia destruxerit, quid est quod hunc sequuti ducem, tam multi hodie blasphemiam alteram de tremendis eucharistia myste:ijs, amplectuntur: cum ex eodem vnus hominis arrogantis spiritu, vtcunq, constet esse profectum. Egit quosdam & caeca libido precipites, dum huic ita seruiunt, vt & doctrinam sacram parere illi cogant. Hinc & Nicolai Antiocheni secta, & Simonis Magi schola foedissima fuit : ille omnium immunditiarum repertor, choros duxit foemineos: hic haeresim condidit, Selenæ meretricis adiutus auxilio, quam Mineruam credi voluit, suamq, & illius imaginem, publica iussit autoritate adorari. Quid igitur mirū, si tam detestabile libidinis mancipium, foeminis indifferenter vti docueit? atque ab hoc vetus ille turpitudinis gurges, vsque in nouissimum Priscillianum, continua & occulta successione manauit.

*Hierony. ad Ctesiphontē.  
Aug de heresibus. 9.  
Euseb. lib. 2. eccle. hist. ca. 13. et 29.*

*Vincentius Lirinensis.*

Marcus enim quidā de Basilidis Gnostici si:pe in Hispanias Galliasque veniens, eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, sua doctrina maculauit, maximeque nobiles foeminas, quædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxit, magicis artibus, & secreta corporum voluptate amorem sui concilians. Huius ab auditoribus Agape non ignobili muliere, & rethore Helpidio Priscillianus est institutus, familia nobilis, potens opibus, acer ingenio, simulque facundus, & multa lectione eruditus; sed idem (Sulpitio teste) vanissimus, ac plus iusto inflatior prophanarum rerum scientia: quem etiam creditum est ab adolescentia, magicas artes coluisse. Turpibus verò amoribus sic deditus erat, vt eum iter agentem alienæ etiam foeminae comitarentur: in quibus erat Euchrocia, filiaque eius Procula, de qua fuit, in sermone hominū, Priscilliani stupro grauidam, partum sibi gramini abegisse: Per hunc igitur talem propagata est superstitio exitiabilis, arcanis, iisdemque obscenis occultata secretis, vsque ad eò vt etiam ad quosdam episcopos contagium perueniret. Mulieres verò rerum nouarum cupidæ, fluxa fide, & ad omnia curioso ingenio, cateruarim ad eum

ad eum confluebant: quippe humilitatis speciem, ore & habitu prætendens, honorem sui & reuerentiam cunctis iniecerat. Deniq; ait D. Irenæus, quidam carnis voluptatibus insatiabiliter inferuientes, carnalia carnalibus, spiritalia spiritalibus reddi affirmant: è quibus nonnulli clam eas mulieres, quæ discunt ab illis doctrinam hanc, corrumpunt. Alij verò & manifestè quascunq; adamauerunt mulieres, has à viris suis abstractas connubio sibi iungunt. Alij verò valdè modesti initio, quasi sororibus sese cohabitare fingentes, procedente tempore detecti sunt, grauida sorore à fratre facta. Et nos quidem, qui metu Dei his abstinemus, tãquam idiotas arguunt, se verò perfectos vocant. Quin & D. Hieronymi sententia est, Difficilè hæreticum inueniri, qui diligat castitatem. Ex quibus omnibus perspicitur impurum & superbum præcipuè spiritum, hæc nobis aduersus pietatem bella mouisse, taliumq; persecutionum idoneos fecisse ministros. Nam quid aliud ipsa quoque nomina loquuntur, quæ sibi variæ sectæ vsurparunt, cum Gnosticos & Apostolicos, cum spirituales, cum catharos, id est mundos, superbissimè semet appellarunt? Et quisnam hæreticorum, ait D. Hieron.) non in superbiam extollitur, ecclesiæ simplicitatem paruipendēs & fidem? Tument, ait Tertul. omnes, Et Aug. hunc superbix tumorem scribit esse omnium eorum, qui se à Christi vnitatem discindunt, vt soli sese esse Christianos iactent, damnentque cæteros. Quoniam autem, obsecro, alio spiritu nostri (ætatis scilicet huius ornamenta) sese euangelicorum, aut ecclesiæ reformatæ nomine venditant. Hinc profectò Lutherò & rabida illa fuit in catholicos maledictentia, & sacrilegus totius vetustatis contemptus, & intoleranda, de diuini spiritus afflatu iactatio; nimirum quo spiritu Donatus, Chartaginensis episcopus, schismaticus & hæreticus, ita cor extulit suum, nullum vt sibi hominem comparandum arbitraretur: vt suum per nomen tanquam Deus aliquis homines iurare pateretur: vt Imperatorē tunc Constantem arroganter contemneret, eiusque munera pro ecclesia & pauperibus subleuadis aspernaretur. Eodē isti prorsus spiritu pleni, iura omnia diuina, & humana conculcant, quorū & linguæ petulantia, & vitæ flagitia, & persequendæ catholicæ religionis causas varias, quoniam hoc tēpore plures cōmonstrarunt, ea modo nos breuissimè perstringimus.

*Lib. i. aduersus hæreses, cap. 10.*

*In Ozeam.*

*In ca. 1. Abdie.*

*Lib. 4. cōtra Cresconium, cap. 59.*

*Optatus Mileuitanus contra Praxenianum.*

*Sic & Priscillianistas per nomē suū*

*Priscilliani,*

*sed mortui,*

*iuuasse refert Sulpiti⁹*

*Seuerus lib. 2. sacre hist. in fine.*

*Cur*

## DE VARIIS PIORVM

*Cur adeò multi reperti sunt, qui ad scindendam & perse-  
quendam ecclesiam erroris magistros sequerentur.*

## CAPVT XXX.

*Matth. 24.*

**P**orrò discipulorum turba, in tanta morum corruptio-  
ne, & ea quam euangelica tuba prænunciat, iniquitatis  
abundantia propter refrigerentem multorum chari-  
tatem, deesse non potuit: vbi in procliui est, vt licere pute-  
tur, quod vehementer adlubescit, eiusque licentiæ, seu perni-  
ciosæ libertatis assertores, in pretio habeantur: non quod il-  
lis hominibus tantopere, sed quod vitijs suis plurimum fa-  
ueant. Ex quo illud esse videtur beati Apostolorum princi-  
pis, Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducēt sectas  
perditionis, & multi sequentur eorum luxurias. Non dicit,  
Et eorum multi grauitate mouebuntur, rationibus conuin-  
centur, doctrina superabuntur; sed multi, inquit, sequentur  
eorum luxurias: vt discipulorū greges innumeros propterea  
futuros significet, quod ament suos plerique languores, &  
soluioie mollioreq; viuendi ratione delectati, quasi ratione  
& auctoritate propugnari gaudeant posse, quod ingenti  
cupiditate sequuntur. Non igitur propterea sic viuūt, quod  
doctrinæ veritati acquiescendum putauerint: sed ideo ma-  
gis nouitiam doctrinam extollunt & laudant, ac tanquam  
obuijs vlnis excipiunt, quod sic antea viuere libuerit. Atque  
vt lethargico solet esse permolestum, si quis eum excitare  
vellicando conetur: ita his est veritatis obiurgatio grauis,  
quos arctior quasi vitiorum somnus aliquis complectitur.  
Eo fit igitur, vt dum sanā doctrina non sustinetur, iamque  
aures ad nouas res audiendas pruriunt, non modo excipian-  
tur venientes, verumetiam aduocentur & coaceruetur ma-  
gistri prauis hominum desiderijs, perditisque moribus con-  
gruentes. Vt enim erant plurimi, qui nausea quadam verita-  
tis affecti, dignissimi erant, qui vanissimis nouellæ doctrinæ  
fumis pascerentur; ita reperiri haud ægrè multi potuerunt,  
qui hos excitatos cupidæ multitudini venditarent. Pseudo-  
prophetarum turbam, cur rex Israël tantam habuit? nisi  
quia se dignissimum præbuit, cui illuderetur vaticinijs men-  
dacibus, prophetis Dei qui mittebantur, abiectis? Nam pro-  
pheta Michæas, inquit ille, nunquam mihi bonum annun-  
ciat, & idcirco odium. Odio persequebatur eos qui vera &  
salutaria prædicerent, eo quod regiæ cupiditati aduersa di-  
cerentur.

erentur. Ideoq; ita comparatum est, (iustissimo iudice Deo permittente) vt esset spiritus mendax in ore omnium prophetarum, qui deciperent Achab & praualerent; & falsis persuasionibus inhærentem perderent. An non modò ita res habere videtur? Nam quia homines charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: Ideò, inquit Gentium Apostolus, mittet illis Deus operationem erroris, vt credat mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Sic igitur exorti sunt blandi isti vitiorum assertores, & indulgentes patroni, qui præstarent malefactis autoritatem, & (quod est deterius) censuram scripturarum cælestium, in aduocationem criminum conuerterent. Per hos sic est eneruatus ecclesiasticæ vigor disciplinæ, & vsque adedò omni languore vitiorum præcipitatus in peius, vt iam nec grauissimis quibusdam criminibus excusatio quærat: quæ etiam prædicanda & laudanda putentur. Planè & illud hoc tempore licuit aduertere, quod de quibusdam Cyprianus scriptum reliquit, qui ne Deum rogarent, ne in ecclesia exomologesin criminum facerent, ab omni sensu & fructu poenitentia se remouerant: forisq; sibi extra ecclesiam constituerant conuenticulum perditæ factionis, cum malè sibi consciorum & Deum rogare ac satisfacere nolentium caterua conflueret. Quia enim ecclesiasticis institutis anaritudo permista est, hæreticorum verò dogmata, lenitate & voluptate cõdiuntur, fit, vt illis offensi, his verò deliniti, multi ferantur in præceps; bonorumque specie falsi, mala pro bonis, & falsa pro veris amplectantur. Idcirco, ait Origenes, hæretici vbicunque fuerint, ad voluptates audientium loquētes, scindunt ac diuidunt ecclesiam; quia plures sunt magis amatores voluptatum quàm amatores Dei. Hinc & illud Ezechielis: Ecce ego ad ceruicalia vestra, in quibus vos cõuertitis illic animas in dissolutionem, ad hæreticos retulit; quòd eorum doctrinis ad hominum libidinem attemperatis, velut quædam puluinarum consuantur, in quibus molles ac delicati suauiter acquiescant. Talia sunt, inquit, verba hæreticorum, vbi non est conuersatio rigida. Inuenies discipulos Valentini moribus dissolutos, ad nihil forte, ad nihil virile tendentes; similiter & sectatores Basilidis. Docent insuper & negare inuerecundè quasi præcepto, quod de eorum martyrio est: non id docent quod

*Lib. 1. epist.  
stolarũ, epist.  
stola 3.*

*Homil. 12.  
in Ezech.*

DE VARIIS PIORVM

*Basilii in  
lib. de utili-  
tate capiēda  
ex libris gē-  
tilium.*

*De baptismo  
contra Do-  
natistas, lib.  
3. cap. 19.*

*In lib. de sim-  
plicitate  
p̄latorum.*

ecclesiastici ostendunt, parati tollere crucem, & sequi Saluatorem. Planè igitur hæretici ad ostentationem, sua & dicta & facta comparant, aurafque populares, non veram rationem dicendo sequuntur. Ideoque sæpenumero modò hoc, modo illud afferunt; similesque fiunt Agyptio sophistæ, qui (vt est apud D. Basilium) & arbor, & aqua fiebat, & fera, & omnino quicquid liberet. Et (quod assentatorum proprium est) vt polypus ad speciem subiecti soli colorem mutat, ita ipsi ad voluptatem audientium variant sententiam. Cumque hac arte ceperint decipere, vicissim ipsi decipiuntur à confluentibus populis; dum propterea mirè sibi placentes, superbaq; lætitia gestientes, dilacerare Christi pergunt ecclesiam, & suis quas abstraxere sibi partibus, ecclesiæ nomen non erubescunt imponere: atque ex ipsidem totis contentionum, & irrisionum, conuiciorumq; viribus, eam à qua discesserunt, oppugnare non desistunt. Idcirco D. August. Sic fiunt, inquit, hæreses & scismata, quum dicit plebs carnalis, quæ in charitate Dei fundata nō est, Ibo post amatores meos, cum quibus utiq; , siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ turpiter fornicantur. Nisi enim seductores isti à plebibus seductis vicissim seducerentur, quum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi, vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur, propter sacramenta & scripturas quas tenent ad speciem, non ad salutem: nunquam profecto ipsi seductores, hæc sibi tanta ac talia arrogarent. Cum igitur credentium plenæ vbique essent ecclesiæ, & omnis generis pisces, bonos videlicet ac malos, euangelica sagma comprehenderet, disrupta per malos sunt retia, & scismata sequuta sunt. Nemo enim, ait Cyprianus, arbitretur bonos, & super robustam petram solida stabilitate fundatos de ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem sola radice fundatam, procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurfione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus, dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis, Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem; dum perfidia discordans, non tenet vnitatem. Fieri verò hæc

Domi.

Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, vt dum corda & mētes nostras, veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus, & dicit: Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis. Sic ergo probantur fideles, sic perfidi deteguntur, sic & ante iudicij diem hic quoque iam iustorum & iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Ex his sunt illi qui se vltro apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiunt, qui nemine episcopatum dāte, episcopi sibi nomen assumūt. Quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, sedentes in pestilentia cathedra, pestes & lues fidei serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena læthalia linguis pestiferis euomētes, quorum sermo vt cancer serpit, quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum, mortale vulnus infundit. Atqui in columbæ specie Spiritus sanctus apparuit, est hoc animal simplex & lætum, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum, hospitia humana diligit, vnius domus cōsortium nouit: cū generant, simul filios edunt; cum comitant, volatilibus inuicem cohærent, communi conuersatione vitam suam degunt, oris osculo concordiam pacis agnoscunt, leges circa omnia vnanimittatis adimplent. Hæc igitur in ecclesia simplicitas manet, hæc vnitatem charitas conseruat. Quid autem facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale serpentum? & cruēta sæuitia bestiarum? gratulandum est cum tales de ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua sua & venenata contagione prædentur: cohære & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nec mirum si eiusmodi homines de ecclesia recedunt, qui quod amandum in ecclesia & querendum fuit, nec quesierunt, nec amarunt. Stipes, & oblationes, & lucra separati desiderant, quibus antea insatiabiles incubabāt: & cœnis atq; epulis etiam tum inhiant, quarum crapulam superstitie ipdies cruditate ructabant, post separationem manifestissimè comprobātes, nec antè cū intus esse viderentur, religioni, sed ventri se potius & quæstui profana cupiditate seruisse: vnde iustissima

## DE VARIIS PIORVM

fit explorationis diuinæ censura, ne apud altare consistere & contrectare sancta, ne pudorem incesti, fidem perfidi, religionem profani, diuina terreni, sancta sacrilegi contingere diutius perseuerent.

*Hæreticos non modò in animas, verumetiam in corpora,  
cum facultas adest, seuire consueuisse.*

### CAPVT XXXI.

**N**emo iam (opinor) putet à me requirendum: num hoc persequutorum genus, quod animabus adeò infestum esse docuimus, etiam gladios tractare & arma nouerit, quibus membra corporis impetùtur. Profusus enim & hanc persequendi rationem ita norunt, vt neque zeli ardore, à Iudæis, neque sæuitia & immanitate, à gentilibus, neque ingeniosa crudelitate, ab vllis omnino superari sese patiantur. Nam & eam ob causam, spinarum nomine, sacris in literis subinde hæretici & scismatici designantur, velut vbi scriptum in Canticis est: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. quòd nimirum tãquam spinarum asperitate, pungant atque cruentant eos, qui veritatis odore suauis, veræque sapientiæ contemplatione delectati, aut peruenire ad Christi ecclesiam, aut perseuerare in ea constantissimè volunt. Filias quidem vocat hæreticorum & scismaticorum cœtus, quòd propter sacramentorum communionem, quasi ex Deo nati & similes ecclesie videantur, sed sola hæc amica est: illæ ita filia, vt etiam tamen spina, propter morum malignitatem, iure vocentur. Idcirco & in sepibus inueniuntur, ad eosque mittitur euangelicus ille seruus, cui dicitur: Exi in vias & sepes, & compelle intrare. Si enim quieti agerent extra conuiuium sancte vnitatis ecclesie, tanquam in vijs reperiri viderentur. at quia per multas iniurias grauesq; pressuras, quibus nitùtur catholicos lacerare, quasi spinis & asperitate pleni sunt, tanquam in sepibus reperti, intrare compelluntur. Horum sæua rapacitas, & non modò ad animas iugulandas, verùm etiam corporalibus lanianda, cum ita res tulerit, infestum semper studium, eo quoque declaratum esse videtur, quod scriptum reperitur in euangelio de pseudoprophetis, qui veniunt ad nos, ouium quidem specie & habitu, sed intrinsicus sunt lupi rapaces. Quo loco nomine luporum, quamobrem hæretici significati sint, libuit

libuit id magis D. Ambrosij verbis explicatum relinquere. *Ambros. lib. 7. in Lucã.*  
 In specie vulpium, inquit, hereticos significari supra expres-  
 simus, qui promittunt nomine, quod Christum sequantur,  
 sed studio fraudis abiurant; hos non suscipit Dominus, sed  
 à suo nido arcet & prohibet. Lupi quid significare videan-  
 tur, debemus aduertere: Bestiæ nempe sunt, quæ insidiantur  
 ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula do-  
 morum intrare non audēt, somnum canum, absentiam aut  
 desidiã pastoris explorant, ouium guttur inuadunt vt cito  
 strangulent, feri, rapaces, ijdemque natura corporis rigidio-  
 res, vt se facili non possint inflectere. Impetu quodam suo  
 feruntur, & ideo sepe luduntur. Tum præterea si quem prio-  
 res hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi ferun-  
 tur eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari me-  
 morantur. Et ideo cauendum mihi est, ne si in hodierno  
 tractatu, spiritualium mysteriorum gratia nõ potuerit reful-  
 gere, lupi me prius vidisse credantur, & solenne vocis extor-  
 sisse suffragium. Nonne lupis istis hæretici comparãdi sunt,  
 qui insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas no-  
 sturno magis tempore, quàm diurno? Semper enim perfidi-  
 dis nox est, qui lucem Christi, nebulis interpretationis ob-  
 ducere; & quantum in ipsis est, fuscare conantur. Versan-  
 tur ergo circa caulas, stabula autem Christi intrare non au-  
 dent. Explorant pastoris absentiam, & ideo pastores eccle-  
 siarum vel necare, vel in exilium agere cõtendunt: quia præ-  
 sentibus pastoribus, oues Christi incurfare nõ possunt; spo-  
 liare ergo gregem Domini & diripere conantur, qui corpo-  
 rea quadam mentis intētione duri ac rigidi, nequaquam so-  
 lent à suo errore deflectere. Et ideo Apostolus ait: Hære-  
 ticum hominem post vnã correptionem deuita, sciēs quia  
 subuersus est qui eiusmodi est. Hos scripturæ verus inter-  
 pres Christi illudit, vt inanes suos in vanum effundant im-  
 petus, & nocere non possint: Qui si quem versuta disputa-  
 tionis suæ circūscriptione præuenerint, faciunt obmutescere.  
 Mutus est enim qui verbum Dei non eadem qua est gloria,  
 confitetur. Caue ergo ne tibi vocem tollat hereticus, si prior  
 eum non ipse deprehenderit. Serpit enim, cum latet eius per-  
 fidia. Si autem commenta impietatis eius agnoueris, iactu-  
 ram piæ vocis timere nõ poteris. Caue igitur versuta dispu-  
 tationis venena, animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus

*Inde illud  
 Vergilij car-  
 mē Egloga 2  
 Nunc oblita  
 mihi tot car-  
 mina: vox  
 quoq; Mæ-  
 rin iam fu-  
 git ipsa, lupi  
 Mærin vi-  
 dere priores.*

DE VARIIS PIORVM

vulnus affigunt. Graues sunt morsus hæreticorum, quin ipsis grauiores & rapaciores bestijs, nullum auaritiæ finem, impietatisque nouerunt. Nec vos moueat, quòd formam prætere videntur humanam, etsi foris homo cernitur, intus bestia fremit; & ideo eos lupos esse non dubium est, iuxta Domini Iesu diuinam sententiam, qui ait: Attendite vos à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Si quis ergo specie mouetur, fructum interroget. Audis aliquem sacerdotem dici, rapinas eius non cognoscis, vestitum ouis habet, facta prædonis: foris ouis, intus lupo est: qui modum non habet rapinarum, qui tanquã in nocte, Scytico membra duratus gelu, cruētus ora circūuolat, quærens quem deuoret. Nonne vobis videtur lupo, qui humanæ necis insaturabili crudelitate, fideiū morte populorum, rabiem suam desiderabit explere? vlulat iste, non tractat, qui negat vocis authorem, & sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur Dominū Iesum æternæ præfulem vitæ. Audiuius eius vlulatus, cū in orbem gladius mitteretur. Dentes asperos, ora tumida præferbat, & putabat quòd vocem omnibus abstulisset, quam solus amiserat. Et hæc quidem Ambrosius quæ prolixius inferenda putauimus, quod Dominicam de lupis euangelicis sententiam, mirificè illustrare viderentur: ex quibus hoc quod volebamus elucet; propterea hæreticos lupos appellatos esse, quòd sui feritatem ingenij, non solum in animas exercent, noxij sermonis & interpretationum dentes insigendo, verumetiam in corpora, vel fugando exilijs, vel fustibus seroque cædendo.

*Exemplis variorum temporum demonstratur hæretica persecutionis in pios crudelitas: Ac primum de Nouatianorum seuitia.*

CAPVT XXXII.

*Nouatiano-  
rū seuitia.  
Cyp. lib. 1.  
epistolarum,  
epistola 3.  
Lib. 2. epi-  
sto. 8. & lib.  
3. epistola 12.*



C Nouatiani quidem, tametsi pauciores erant, fustes illi tamen, & lapides, & gladios, verbis parricidalibus iactabant. Nam & Gentiles & Iudæi minantur, inquit Cyprianus, & hæretici atque omnes, quorum per-  
ciora & mentes diabolus obsidet, venenatam suam rabiem quoti-

quotidie furiosa voce testantur. Etenim exaltatio eiusmodi & inflatio, & arrogans ac crudelis, superbaque iactatio, non de Christi instituto, qui humilitatem & mansuetudinem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur. Nec verò verbis illi duntaxat minacibus, verumetiam factis armisque terruerunt. Cum enim Nouatianæ factionis esset Fœlicissimus quidam, imò verò, vt Cyprianus loquitur, dissidij & scismatis signifer ac Nouati satelles, idemq; pecuniæ commissæ fraudator, stuprator virginum, matrimoniorum multorum corruptor: atque is & in Aphrica ob hæc multorum fuisset episcoporum sententia damnatus, & Romæ per Cornelium ab ecclesia prohibitus, non dubitauit, stipatus caterua & factione desperatorum aggredi Pontificem, ac vim, ni faceret quod pererent, ostentare. Ac si illos maiore aliquando numero potentiaque seculari valere contigisset, quæ, nisi fera cruentaque omnia, ab eiusmodi hominibus expectari debuissent? Etenim ad ecclesiam hoc etiam modo persequendam, admodum illi videbatur idonei, quos scelera iam multa exagitabant, ob quæ timentes ac refugientes ecclesiæ iudicium, id egissent alacrius, ne qui superessent quos timerent. Feruntur enim, ait Cyprianus, semper mali suo furore dementes, & posteaquam scelera fecerint, conscientia ipsa sceleratæ mentis, agitantur. Quo enim modo non ille sciuisset in eos, quos sibi odij opinione duceret inimicos, à quo spoliati pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque ecclesiæ denegatæ? cuius per crudelem animum, pater fame mortuus, & ab eo postea nec sepultus? à quo vxoris vterus calce percussus, & partione properate, in parricidium partus expressus?

*De Arrianorum in catholicos furoribus per Romanos principes. CAPVT XXXIII.*

**A** rrianorum verò quātus se in ecclesiam furor, quantaque vis persequutionis effuderit, non aliunde melius didicerimus, quàm ex ipsius querimonia Hilarij, quem illa tempestas vehementer exercuit. Quid istud est, inquit, quòd sacerdotes timere Deum vinculis coguntur? poenis iubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodiam catenati ordinis, constricta disponitur, virgines nudantur ad poenam, sacra Deo corpora publico exposita cōspectui, ad fructum spectaculi & quæstionis aptantur.

*Persecutionis huius initia sub ipso Imperatore Cōstantino. Vide apud Sulpi. Senece lib. 2. sacræ hist.*

I iij

tur.

DE VARIIS PIORVM

tur. Cogunt nempe non vt Christiani omnes simus, sed vt Arriani. In ea quoque epistola quam ad Constantium scripsit hæreticum: Querela, inquit, famosa, iussos à te episcopos esse, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc in ecclesiasticis frõtibus scriptos, metallicæ damnationis titulo recenseri: Adest mecum Alexandria tot concussa bellis, tantum commotarum expeditionum pauens tumultum. Breuius enim magis aduersum Persam, quàm aduersus eam armis certatum est. Mutati præfecti, electi duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanasio Christus prædicaretur. Taceo de minoribus populis & ciuitatibus, quibus per totum Orientem aut terror, aut bellum est. Postquam omnia contulisti arma aduersum fidem occidentis, & exercitus tuos conuertisti in oues Christi, fugere mihi sub Nerone licuit. At tu Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum relegasti, & ecclesiam sanctam Treuerorum tali sacerdote spoliasti. Edicto fidem terruisti, Christum vsque ad mortem demutasti exilijs & fatigasti, extra Christianum quoque nomen relegasti: ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montanæ Maximillæque antro prophanatum expectaret. Mediolanensem piissimam plebem, quam tu furore terroris turbasti, tribuni tui adierunt, sancta sanctorum, & viam sibi per populum, crudelitate pendentes, pertraxerunt de altario sacerdotes, leuius te putas sceleste Iudæorum impietate peccasse? Effuderunt quidem illi Zachariæ sanguinem, sed quantum in te est, concorporatos Christo, à Christo discidisti. Vertisti deinde vsq; ad Romam bellum tuum, eripuisti illic episcopum, & ô te miserum, qui nescio virum an maiore impietate relegaueris, quàm remiseris. Quos tu deinde in ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, & in ipsum (vt sanctissimi mecum intelligât) in ipsum Christum manus missæ. Hæc Constanti si ego mentior ouis es, si verò tu peragis Antichristus es. Et hæc quidem D. Hilar. Cùm igitur prophana ipsa Arrianorum nouitas, velut quedam bellona aut furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina, nouis legibus subiungasset, nequaquam deinceps destitit vniuersa miscere atque vexare, priuata ac publica, sacra prophanaque omnia, nullum boni & veri gerere discrimen, sed quoscunque collibisset, tanquam

Vincentius  
Lirinensis.  
Quanam ratione Constantium irruerint Arriani, vide lib. 10. eccle.

quam de loco superiore percutere. Tunc temeratae coniu-  
ges, depopulatae viduae, prophanatae virgines, monasteria  
demolita, disturbati clerici, verberati leuitae, acti in exilium  
sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla, quo-  
rum pars maxima interdictis vrbibus protrusi atque extor-  
res, inter deserta speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti af-  
fecti, contriti & tabefacti sunt. Et quis illis temporibus non  
ad Arrianam crudelitatem, etiam si gentilis esset, obstupuit?  
Quis non eos tum bonus ac pius, praesertim episcopus & sa-  
cerdos, beluis immaniores expertus est? Sed fatius est vt ip-  
sius quoque qui tum plurima est perpeffus, cuiusque in per-  
sequutiones vniuersus coniurauerat orbis, hoc est, inuictis-  
simi Athanasij verbis vtar, ne quid de illis temporibus vi-  
deat ipse finxisse. Quem quaeso, ait, in persequendo assequu-  
ti, non omnibus quibus libuit, contumelijs vexarunt? Cui  
non, cum quo illis similtas erat, delapso in ipsorum manus,  
eam vim adhibuerunt, vt vel misere periret, vel vndecunque  
mutilaretur? Quae à iudicibus videntur fieri, ipsi reuera fa-  
ciunt, quin potius sententiae malitiaeque iudicum, ipsi se mi-  
nistros praebent. Quis igitur locus reliquus, qui non ipsorum  
saevitiae monumeta possidet? quae ecclesia non luget eorum  
insidias? Nonne Antiochia ob Eustatium confessorem, &  
orthodoxum virum ademptum in moerore est? & Balanea  
ob Euphrationem? Bultus & Antardus, ob Cymatium &  
Carterium? Adrianopolis ob Eutropium Christo addictis-  
simum, deinde ob Liuium, qui ipsorum opera saepe & ca-  
thenas gestauit, & in cathenis mortem obiit? Nonne An-  
cyra Marcellum luget? Berroea Acyrum? Gaza Diasde-  
pan? Quos saepius antea contumeliose habitos, tandem suis  
dolis in exilium eliminarint. Nonne itidem Theodulum &  
Olynpium, Thraces? Quid autem de nobis ipsis, nostrisque  
presbyteris dicam? quorum latebras eo studio rimati sunt,  
vt inuentis nihil praeter mortem expectandum fuisset, quod  
de nobis quoque futurum erat, nisi foeliciter elapsi essemus.  
Tales enim literae aduersum Olympium, ad proconsulem  
Donatum missae sunt, talesque item aduersum nos ad Phi-  
laggium. Certè Paulum Constantinopolis episcopum, que-  
situm deprehensumque propalam authores fuere, vt Coc-  
cusae, quae est in Cappadocia, strangularetur, carnificem ad  
eam rem nacti, Philippum praesidem, ipsorum sectae ante-  
signanum,

*Hist. eccles.  
lib. 10. ca. 14  
In Apologia  
de fuga sua.*

signanum, & prauarū voluptatum satellitem. Quid igitur? An post talia scelera defatigatos sese ostenderunt, aut iam denique quieti se tradunt? minimè gentium. Nihil in illis quietis, sed secundum eam, quæ in prouerbij est, hircinam semper in maius sæuiunt, suis sceleribus indiuisim affixi. Nam eorum scelera quis vnquam condignè extulerit? aut quæ tanta memoria vt quæ ab illis designata sunt, plenè recenseat? Pacata enim hæc ecclesia, populoque in sacris synaxibus orante, Liberius Romanus præsul, Paulinus, Galliarum Metropolitanus, Dionysius Italiae, Lucifer Sardiniae, Eusebius item Italiae, omnes boni & præclari episcopi, veritatis præcones, aguntur, raptantur, & in exilium profugantur, nulla prorsus de causa, nisi quòd nō ad stipulati sunt Arrianorum hæresi, & illorū calumnijs aduersum nos sceleris subscribere noluerunt. Hæc Athanasius. Postea autem fugatis episcopis, Romam venit Constantius, concilioq; cum hæreticis habito, Fœlicè, qui fuerat Liberij in locum successus, ab episcopatu, cū esset catholicus, remouit, Liberiumq; exilij tedio victum, suisque iam consentientem præceptis, reuocauit. Ex quo die tanta rabie ab Arrianis sæuitum est in clerum, vt intra ecclesias presbyteri & clerici complures, non sine ipsorum quidem martyrij laude necarentur. Quid Alexandria perpeffa sit, ipse quoque Athanasius literis suis expressit. Ab illo enim facinore, quo videlicet clarissimos episcopos in exilia disturbarunt: Alexandriam, inquit, adoriuntur, denuò nos ad necem quærentes: & quæ tum acta sunt, longè tetriora, quàm priora fuerunt. Siquidem miles statim armis circundedit ecclesiam, bellique deinde negotia pro orationibus succedere. Deinde superueniēs per tempus quadragesimæ, qui ab ipsis è Cappadocia missus fuerat, Georgius, scelera quæ ab ijs didicerat cumulatoria reddidit. Videre enim erat post septimanam Paschæ, virgines in carcerem detrudi, episcopos victos à militibus duci, pupilorum viduarumque domus populari (nam & in domos eruptiones factæ sunt) noctu Christianos raptari, ædesque obsignari, & fratres clericorum, pro fratribus in periculum deuocari. Grauias quidem ista, grauiora tamen quæ postmodum commissa sunt. In hebdomadæ siquidem post sacram Pentecosten, populus completis ieiunijs ad orandum, ad cœmitem abijt, eo quòd abhorrent à communionem

Geor-

*Damasus in Pontificali, sed Ruffinus incertū sibi esse significat, cur sit Liberius reuocatus, vtrū quòd acquieuerit voluntati eius ad subscribendum, an quòd ad populi Romani gratiam, indulserit. Lib. 10. eccl. hist. cap. 27.*

Georgij: quod cum homo omnibus modis sceleratissimus intellexisset, ducem copiarum Sebastianum, secta Manichæum, ad vim & ad arma instigat. Igitur ille militari manu, infestis telis, cum alij gladios strictos, alij arcus gestarēt, impetum in populos facit, rarosque illic orantes deprehendens (nam plerique vt erat diei tempus, discesserant) talia designauit, qualia par erat eum designare, qui istiusmodi hominibus aurē prabuisset. Virgines enim ignibus flammantis rogi, admotas, adigebat ad confessionem Arrianae religionis: vbi cum eas inuictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, vt vix longo post tempore, à suis potuerint agnosci: viros autem quadraginta comprehensos noua ratione lacerauit, virgis enim palmeis aculeos suos adhuc retinentibus, ita terga eorum cæcidit, vt alij sapius à medicis, ob tenacius inhærentes aculeos, frustra curati, alij curationem non ferentes, mortem oppetiuerint, cæteros deinde omnes, quotquot comprehenderint, in eam partem Aegypti, que magna Gasis appellatur, relegarunt, corpora autem defunctorum initio, ne suis quidem dari voluerunt, eaque pro libidine sui consilij insepulta, claculum habuerunt, quod putarent suam crudelitatem latere posse. Nam & eousque sese protulerat (ait Theodoretus) Arrianorum nequitia, vt & portas clauderent, & circa sepulturarum loca, veluti demones residerent, ne quis sepeliretur fidelium dilectorum. Constantinopoli verò, cum Macedonius præesset hæreticus, qui ei cōmunicare nolēbant, multum & grauiter afflicti sunt: vsque adeò vt post tormenta, violenter ore suo communionem suscipere, & tenere cōpellerentur. In igno namque ora hominum aperientes, sacramenta eis inferebant. Porro mulieres & paruulos arripientes, communicare cogebant, si quis verò contradiceret, mox plagæ, vincula & tormenta sequebantur: Ita vt etiam fornicarum communicare nolentium mamillas in arca comprimentes, absunderent. Aliarum verò aut ferro, aut ouis ardentibus, eadem membra comburerent. Neque verò ea persecutio, vti vehementer efferbuit, ita mox etiam compressa est. Nam & postea Valens suæ coniugis seductus alloquio, ad Arrianaeque partes eius blandiloquentia pertractus, magna persecutione per Orientis partes catholicam vastauit ecclesiam. Quem cum Eudoxius Constantinopolitanus præsul, Arrianus, u-

reiu-

Lib. 5. Trip.  
hist. cap. 31.

Persecutio  
Arrianorum  
sub Valente.  
Hist. Trip.  
lib. 7. ca. 3.  
& Orosius  
lib. 7.

DE VARIIS PIORVM

reiuurando à se baptisatum obstrinxisset, vt Arriani dogmatis sese exhiberet defenforem, id adeò strennuè præstitit, vt præter alia ludibria, contumelias, terrores, minas atque supplicia, quibus catholicæ fidei cultores affecit, atrocibus furij inuectus in monachos, horum tria milia (quæ in vastam Aegypti solitudinem diuini cultus causa secesserant) ad Persicum bellum euocarit, recusantesque fustibus, ad interuersionem vsque cædi iusserit. Quin & in eo prælio, quo aduersus Gotos pugnatum est, monachos permultos Barbaris trucidandos obiecit. Et profectò (ait Nazianzenus) prima eius molimina temeraria, splēdida fuere, sed longè splendidiora, nouissima contra nos exitière certamina. Sed quænam prima voco? exilia, fugas, bonorum publicationes, infidias cum manifestas, tum occultas. Tempus persuadendi haud erat, sed vi cuncta agebantur. Quidam pellebantur ab Ecclesijs, quicumque nostram ac rectam sequebantur fidem. Alij autem qui regiam sequebantur perditionem, introducebantur. Nonnulli impietatis exigebant subscriptiones. Alij verò his atrociora etiam scribebant. Presbyteri exurebantur, duces verò impij, nequaquam Persas superabāt, non Scitas subigebant, non genus aliud Barbaricum persequebantur, sed contra ecclesias militabant, ac inter altaria saltabant, sacrificiaque incruenta hominum & sacrificiorum sanguine cruentabant: ac virginum pudorem violabant, vt aliquid fieret, quo Iacob patriarcha expelleretur, & Esau qui nondum natus, odio habebatur, introduceretur. Et hæc, inquit, inconsideratæ eius temeritatis primæ fuere explicationes, quæ multis præsentis etiam tempore lachrymas mouent, cum auditu percipiuntur, aut memoria recoluntur. Hæc Gregorius Nazianzenus de Valente.

*In oratione  
funebri de  
sancto Basilio.*

*Epistola. 70*

Neque verò minus ipse Basilius illatam eo tempore calamitatem Arrianorum furoribus, deplorauit. Persequutio, inquit, vos apprehendit, persecutionum omnium grauissima. Abiguntur enim pastores, vt greges dispergantur. Et quod omnium est durissimum, neque qui affliguntur per martyrij certitudinem illatas passiones tolerant: neque plebs martyrum loco athletas habet ac veneratur: propterea quòd Christianorum nomine tecti sunt persecutores. Vnum ià crimen est quod vehementer punitur: si paternas quis traditiones diligenter obseruet. Ob hanc causam paternis sedibus

bus abiguntur pij, & ad solitudines migrare coguntur. Nulla est apud iudices iniquos cani capitis reuerentia, non iam vlla conspicitur religiosæ pietatis exercitatio, nulla conuersationis initur ratio, quæ ad euangelij normam ab adolescentia ad senectam vsque legitime perficiatur: sed cum nemo sceleratus sine certis indicijs condemnatur, episcopi sola intercedente calumnia damnantur: & nulla euidenti probatione assertis ac corroboratis criminationibus, supplicijs traduntur. Nonnulli ne nouerunt quidem accusatores suos, neque tribunalia viderunt, neque delati sunt primum, sed nocte intempesta abrepti, in exilium fugati sunt, solitudinis calamitatibus ad mortem vsque traditi. Quæ verò ista concomitentur, neminem latet: etiam si nos sileamus. Exilia presbyterorum, exilia diaconorum, totiusque cleri depopulationes. Neesse enim est, vel adorare imaginem, vel sæuæ flagrorum flammæ tradi: gemitus plebis, lachrymæ continuæ, & per singulas domos & publicè, omnibus quæ patiuntur inter se complorantibus. Nemo enim corde est adeò vsque lapideo, vt patre priuatus, placidè ferat orphaniam. Sonitus lamètantium in ciuitate, sonitus in agris, vijs, in solitudinibus. Vox vna omnium miseranda ac tristitia loquentium. Sublatum est gaudium & lætitia spiritualis, in luctum mutatæ sunt festiuitates nostræ, domus precationum clausæ sunt, altaria cultu spirituali vacant. Nulli amplius Christianorum cœtus, nulla amplius doctorum præsentia, cessarunt doctrinæ salutare, cessarunt panegyres ac festiui conuentus publicique: hymnodia nocturnæ non habentur, neque superest beata illa exultatio, qua Domino credèrium animæ in Synaxi, accõmunionem spiritualium charismatum exhilarantur. Nobis iam dicere licet, quòd in hoc tempore sit neque princeps, neque propheta, neque præses, neque oblatio, neque incensum, neque locus vbi coram Domino possit offerri sacrificium ac misericordia acquiri. Hæc Basilus. *Epist. 70.*  
 Quo magis autem illius imperatoris impietatem intelligas, *Hist. Trip.*  
 cum Antiochiæ diutissimè moraretur, omnibus permisit *lib. 8. cap. 3.*  
 Gentilibus, Iudæis atq; hæreticis, propriæ cuique religionis sacra celebrare. Nam & Gentiles festiuitates agebant, palam dæmonibus ministrantes, & post Iulianum ab Iouiniano idololatriæ vanitates extinctas, reuiuiscere ac reflorescere pertulit. Ijs erat solis inimicus, qui Catholicam & Apostolicam

DE VARIIS PIORVM

licam doctrinam prædicare videbantur. Sed Valens quidem imperator, dum nimio studio persequitur ecclesiam, non diu valere permixsus est. Nam cum Gostos debellasset, Arrianosque fecisset antequam Christianos, ab ijs postea rebellantibus, cæsa exercitus magna parte, fugere ipse coactus est: qua in fuga sagittis grauius saucius tugiuiumq; forte obuium seu casam vilissimam ingressus, igni ab hostibus maturè subiecto, viuis illic est concrematus: dignum profecto excipiens temporarij incendij ab ijs exitium, quibus conciliarat æternum. Iustinam verò postea Valentiniani pueri matrem, cum Arrianum venenum seducta hausisset, constat adeo studiosè persequutam esse episcopum Ambrosium hæresis suæ gratia, vt excubaret pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo: quo tempore vt hymni & psalmi in ecclesia canerentur, secundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabesceret, institutum est. Huius persequutionis, quæ Auxentium falso episcopum nominatum, incensorem atque executorem habebat, ipse quoque meminit Ambrosius, suumque ex ea periculum, non tacuit. Expectabam, inquit, magnum aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium; at illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt. Verum athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet, quod aut carrum præparauerant, aut dura, vt videbantur sibi, Auxentij ipsius, qui se dicit episcopum, ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos poenam mortis esse decretam, nec illam timeo, & ista non desero. Quo enim abibo, vbi non omnia plena gemitus sint atque lachrymarum? quando per ecclesias iubentur eijci catholici sacerdotes, resistentes gladio ferri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum impleuerint? Et hæc episcopi manuscripta & ore dictata. Qui se vt probaret doctissimum, vetus non omisit exemplum. Legimus enim in Propheta quod viderit falcem volantem. Hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes vrbes direxit. Vt autem beatum Ambrosium Iustina, sic diuum Chrysostomum Eudoxia Augusta vehementer exercuit. Nam & hæc Arriana fuit, atque eo quidem studio ac zelo, vt Arrianis cruces argenteas & cereos ad hymnos nocturnos, sedula & quasi religiosa præberet. Cum his Arriani crucibus per urbem obambulantes, noctium

*Sextus Aurelius Victor in sua Epitome.*

*In Tripart. lib. 8. ca. 15.*

*Gregorius Thonensis, et*

*Ruffinus lib. 1. eccles. hist. cap. 13.*

*Persequutio Arrianorum sub Iustina*

*Valentini*

*vare.*

*August. in lib. Confes.*

noctium silentia frequentabant, suique dogmatis hymnos modulabantur. Eam ob rem Ioanes catholicos auxit hymnos: ne illorum cantionibus, quod viderentur celebriores, infirmorum animi mouerentur. Verum hæc modulandi contentio, in funestam aliquando pugnam euasit: in qua Brizon Eunuchus Augustæ, cum præesset hymnis exercendis, lapide iactus est in fronte, extinctis etiam vtrimque nonnullis. Qua occasione vetuit imperator, ne post Arriani, intra urbem, publicè suos hymnos concinerent.

*Lib. 10. Tit.  
hist. cap. 3.*

*De Gottis Arrianis. CAP. XXXIII.*

**S**AEUIEBANT IJSDem & Gotthi tēporibus, nec scio an ijs Arriano iam spiritu fuerētibus quicquam potuerit crudelius reperiri. De quibus cum diuus Ambrosius loqueretur: Non libet, inquit, confessorum neces, tormenta, exilia recordari, piorum sacerdotia, proditorum munera. Nōne de Traciæ partibus, per Ripensem Daciam & Misiam, omnemque Valeriam Pannoniorum, totum illum litem, sacrilegis pariter vocibus & barbaricis motibus audiuius inhorrentem? Quid proderat nobis vicinitatem ferality inuehere? aut quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia? Cū autem & Hispanias occupassent Gotti, rex eorum Euarix Hispanum excedens litem, grauem aduersus ecclesias Gallicanas persequutionem excitauit. Trucidabat ille passim eos qui suæ peruersitati non acquiescerent, clericos in carceres coniciebat, sacerdotes verò alios mulctabat exilio, alios gladijs obtruncabat. Nam & ipsos sacrorum templorum aditus spinis iusserat obserari, scilicet vt ingrediendi raritas, fidei obliuionem induceret, sed persequutor non multo post tempore, diuina ultione percussus, interijt. Post multas autem grauesque persequutiones conuersi tandem sunt in Hispanijs ad catholicam fidem Gotti, vnà cum gente Sueuorum, rege Reccardo viro religionis amantissimo, quod ex concilio quoque Toletano poterit intelligi, in quo illa vox est primorum Gotticæ gentis, ad episcopum catholicum. Licet hoc quod tua paternitas atque fraternitas vestra cupit audire, iam olim conuersionis nostræ tempore egerimus, quando secuti gloriosissimum Reccardum regem nostrum ad ecclesiam transiimus, & perfidiam Arrianam cum omnibus superstitionibus suis detesta-

*Greg. Tur.  
nensis.*

detesta-

*Lib. 3. dial.  
cap. 31.*

detestati sumus : nunc tamen propter charitatem & deuotionem quam Deo & ecclesiæ catholicæ debemus, promptissimè agere quæ petitis, præparamus. Scripsit ad memoratum Reccaredum Gregorius primus, Laudans eum, quòd eius opera pijssimoque studio, gens Gotorum catholicam fidem esset amplexa. Neque verò prætermittenda nobis historia est, quæ apud eundem Gregorium de Ermigildo reperitur. Hic igitur cum esset Liugildi regis VVisigottorum filius, ab Arriana hæresi ad catholicam fidem, opera Leandri Hispalensis episcopi conuersus est. Quem pater Arrianus, vt ad relictum Arrianismum rediret, & mulcere premijs & minis terrere conatus est : cumque ille constantissimè responderet, nunquam se posse veram fidem deserere quam semel agnouisset : iratus pater eum regno priuauit, rebusque spoliauit omnibus. Sed quia nec sic inuictus animus emolliri potuit, in arcta custodia collo, manibusque ferro ligatis, habitus est. Superueniente autem Paschalis festiuitatis die, noctis intempestæ silentio, ad eum perfidus pater episcopum Arrianum misit, vt eius ex manu, sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, eaque via cum patre rediret in gratiam. Sed episcopum digna constantia repulit Ermigildus, nec multo post, impij iussu patris, securi percussus, martyrij palmam consecutus est. Ductus autem pœnitudine pater, veramque per miracula, quibus filij mors illustrata est, fidem agnoscens : non eam tamen suæ gentis metu professus est, sed Leandro episcopo catholico filium alterum Richardum seu Reccaredum moriturus commendauit. Itaque Richardus non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arrianæ hæreseos prauitate, per eundem Leandrum reuocatus, fidei catholicæ sanitatem & agnouit & suscepit, totamque VVisigottorum gentem sic ad eandem perduxit fidem, nullum vt in regno suo militare pateretur, qui regni Dei hostis esse per hæresim non timeret. Porrò Galliæ quoque partes aliquas Gotti Arriani haud minimo tempore tenuerant, illic etiam catholicis semper infesti : quod cum Francorum rex Clodouæus molestissimè ferret, Alaricum VVisigottorum tunc regem debellauit, hæreticos oppressit, regnumque suum totas per Gallias dilatavit. At verò iugo Arrianismi pressam in multis Theodoricus diu tenuit Italiã, quam fuerat etiam gladio deleturus, ni misso

*Gregorius  
Turonensis.*

ni misso Constantinopolim Ioanne primo Pōtifice, Iustino  
 pijsimo Imperatori persuasum fuisset, vt si Italiae vellet  
 paritum esse, Arrianis in Oriente, liberar esse suas ecclesias  
 pateretur. Atque interim dum ille in itinere demoratur,  
 Theodoricus iniquitatis atque perfidiae suae rabie stimula-  
 tus, Symmachum Patricium, & Boetium Senatorem, viros  
 catholicos, & virtute praestantes, gladio trucidauit. Neque  
 verò incredibile est regis in hunc odium exacuisse, quòd in  
 Arrianos inueheretur liberius, stilique sui gratiam singula-  
 rem, ad illius haeresis euerfionem conuerteret: Sed aliam in-  
 terim ipse exilij damnationisq; suae causam comemorat, lib.  
 1. de consolatione philosophiae: vbi breuiter & regis tyran-  
 nidem iasnuat, & suam innocentiam protestatur: Memi-  
 nisti, inquit, (Philosophia alloquens) Veronae, cum rex au-  
 dus comunis exitij maiestatis crimen in Albinum delatum,  
 ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur, vniuersi  
 innocentiam senatus, quanta mei periculi securitate defen-  
 derim. ac postea. Pro verae virtutis praemijs, inquit, falsi  
 sceleris poenas subimus. Et infra. Si sacerdotes impio iu-  
 gulari gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur,  
 praesentem tamen sententia confessum & conuictum, me  
 punisset. Nunc verò quingentis ferè passuum milibus pro-  
 cul moti atq; indefensi, ob studium propensus in senatum,  
 morti proscriptionique damnamur. Quid autem falsi crimi-  
 nis imponeretur, haud obscure consequentibus, indicauit:  
 Ob ambitum, inquit, dignitatis, sacrilegio me conscientiam  
 meam polluisse mentiti sunt. Atqui & tu insita nobis (phi-  
 losophiam, vti significatum est, alloquitur) omnem rerum  
 mortalium cupiditatem, de nostri animi sede pellebas, &  
 sub tuis oculis, sacrilegio locum esse fas non erat. Instillabas  
 enim auribus cogitationibusque quotidie meis, Pythagori-  
 cum illud *εὐ δὲ θεῶν, οὐ δὲ θεῶν*, id est, Deo non dijs seruiendum.  
 Nec conueniebat vilissimorum me praesidia spirituum ca-  
 ptare, quem tu in hanc excellentiam componebas, vt similem  
 Deo faceres. Praeterea Penetral innocens domus: honestis-  
 simorum coetus amicorum: Socer Symmachus etiam san-  
 ctus, & aequè actu ipsa, reuerendus, ab omni nos criminis hu-  
 ius suspicione defendunt. Denique Boetium hunc virtutis  
 causa persecutionem ab hominibus improbis passum esse,  
 philosophiae sermo declarat, quo docet neque mirandum  
 esse,

K

esse.

*In Miscellis  
 & apud Ot-  
 tonem Fri-  
 singensem  
 chronicorum  
 cap. 1. 2. &  
 3. & in pon-  
 tificali de Io-  
 anne primo.*

DE VARIIS PIORVM

esse, si boni viri exosi sint sui dissimilibus, neq; nouum quod eos infestos patiantur. Num nunc primum, ait, censes apud improbos mores, laceffitam periculis esse sapientiam? & quibusdam interpositis. Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenū, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, nouisti. At Canios, atque Senecas, ac Soranos, quorum nec peruetusta nec incelebris memoria est, scire potuisti: Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus instituti studijs improborū, dissimillimi videbantur. Itaque nihil est, inquit, quod mireris, si in hoc vitæ sale, circūstantibus agitemur procellis: quibus hoc maxime propositum est, pessimis displicere. Quorum quidem tametsi numerosus exercitus, spernendus tamen est: quoniam nullo duce regitur, sed errore tantū temerè ac passim limphante, raptatur: qui si quando contra nos aciem struens, valentior incubuerit, noster quidem dux copias suas in arcem contrahit: Illi verò circa diripiendas inutiles sarcinulas, occupantur. Atque hæc quidem ex Boetio libuit decerpere, quoniam & in eius mentionem incidimus, & ab instituto non erant aliena. Tyrannus autem Theodoricus Ioannem quoque Pontificem, cum esset fœliciter legationis munere perfunctus, reuocatum Rauennam carceris afflictione longiore peremit. Ad id perpetrandum mouerat partim catholicæ & apostolicæ sedis, cui vehementer inuidebat, gloria, quod eam audierat in Græcia summis & imperatoris & populi honoribus agnitam atque illustratam esse: partim epistola, quam reuertens Ioannes ad Italiæ miserat episcopos, iubens Arrianorum ecclesias quasunque reperissent, catholicas consecrari. Sed defuncto in custodia Ioanne, mox etiam repentina morte Theodoricus ad inferos rapitur, iustas illic scelerum suorum pœnas sine fine daturus. Quem inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium pius quidam heremi cultor discinctum & discalciatum, vinctisque manibus, proijci in spiritu vidit, in vicinam (vti referebat) Vulcani ollam, vt ab illis significaretur in æternum missus ignem, quos hic iniquissimis iudicijs oppresserat. Post hūc Italicæ ecclesiæ, grauis admodum Theodatus sua tyrannide fuit, quo extincto cum Vitigis successisset, ac Belisarius Iustiniani præcepto, in Italiam ad Gottos delendos cum exercitu venisset, tanta est tum à Gottis atrocitate sæuitum, vt eorum incendijs absume-

*Gregorius in  
dialogis.*

absumerentur passim ecclesiae: caedibus vbique piorum sanguis funderetur, & martyrum sepulta corpora, suis eruta locis, exterminarentur. Quid iam memorem Totilam Gotthorum postea regem? qui simulatque regnum adeptus est, collecto vndiq; exercitu, vniuersam inuasit Italiam. Exinde per Campaniam, Lucaniam, ac Brutiorum fines, Regium profectus, moxque celeriter Siculum transgressus fretum, inuasit Siciliam; saeuus vbique, & sui, in ecclesiasticum praesertim ordinem, crudelissimi odij passim, qua ferebatur, argumenta relinquens. Nam B. Cerbonium episcopum Populoni, propterea quod milites excepisset hospitio, domiq; superuenientibus Gottis, conseruasset, visis immanissimis obijci iussit in theatro. In quo rex quoque perfidus & crudelis, quo sese oblectaret, spectator confedit. Quanquam aliter quam existimabat, euenit. Siquidem emissus vsus e cauea, accensusque primum & concitus, episcopu petens, mox suae ferocitatis oblitus, deflexa ceruice, submissoque humiliter capite, lambere coepit episcopi pedes. Nimirum vt omnibus fieret palam, quod erga illum viru Dei, & ferina corda essent hominum, & humana bestiarum. Rursumque alias, posteaquam Perusinam urbem septenij obsidione continua cinctam, ad extremum occupauisset, atque is qui exercitui praerat, misso nuntio, quid de episcopo ac populo fieri vellet, ab rege petisset, tale reddidit saeuitiae suae mandatum. Episcopo prius a vertice capitis vsque ad calcaneum e cute corrigiam tolle, & tum caput amputa, omnem vero populum qui illic fuerit repertus, gladio perimito: erat autem ille Herculaneus, episcopus (vt significatum est) Perusinus: cuius post mortem virtus, miraculo diuinitus illustrata memoratur. Quam insatiabili quoque furore poenam & cruciatus sitiit Fulgentij episcopi Vtriculani? atqui hic tamen eius iracundiam munusculis per clericos missis, lenire & mitigare studuerat. Crudelissimi vero regis nemo dubitet seruos ac milites crudelissimos extitisse: in quibus Galla quidam fuit Arrianae perfidiae zelosissimus confessor: qui in catholicae ecclesiae religiosos ac clericos sic totus exarserat, immanissimae crudelitatis ardore, vt quisquis ei clericus aut monachus obuius factus esset, is nullo pacto viuus ex eius manibus elaberetur: cuius tamen ferociam beatus Benedictus, mirabiliter, (vt alia fecit multa) repressit. Reuertens

*Gregor. lib.  
3. dialogorū,  
cap. 11.*

*Gregor. lib.  
3. dialogorū,  
cap. 13.*

*Gregor. lib.  
3. dialogorū,  
cap. 12.*

*Gregor. lib.  
2. dialogorū,  
cap. 31.*

DE VARIIS PIORVM

Lib. 2. Dia.  
cap. 15.

autem à Sicilia, Romam Totila petijt, eamque grauissima  
obsidione cinxit: quæ tantam famis passa penuriam est,  
vt præ magnitudine inopiæ, & natorum carnes suorum pa-  
rentes in cibum expeterent: tandemque ille, fessis nimium  
Romanis, porta Ostiensi, urbem victor ingressus est: in qua  
tamen sese gessit omnium opinione benignius, qui nimia  
pius crudelitate sauierat. Id quod nonnulli (in quibus est  
S. Gregorius) beati Benedicti monitis ascribendum putant.  
Cum enim ille per B. patris cœnobium iter ageret, hæc ab  
eo verba audisse memoratur. Multa mala facis, multa mala  
fecisti: Iam ab iniquitate conquiesce, equidem mare transi-  
turus es, Romam ingressurus: nouem annis regnabis, de-  
cimo morieris. Quod ille prædixerat, euenit certissimè,  
Quippe de Romana calamitate certior in Græcia factus Au-  
gustus, Narsen Eunuchum cubicularium suum Exarchum  
Italiae fecit: Romam cum manu valida misit, vt afflictæ Ita-  
liae quantocius succurreret. Is igitur Longobardis auxilia  
ministrantibus, quos reipub. Romanae fecerat amicos, mul-  
ta cum Gottis prælia commisit, regem Totilam, decimo, ex  
quo Romæ confederat anno, Gottis bello penè consumptis,  
interfecit, Italiamque totam ad reipub. iura reduxit. Erat  
sub huius gubernaculis beata & florens Italia, à qua & He-  
rulos & Francos felicissimis prælijs propulsarat. Sed dum  
Romani huic inuident, & gentium malle se, quàm vnus  
Græci, tam durum causantur Imperium, reuera non multo  
post grauissimum Longobardorum iugum subiere.

*Persequutio Vandalica.* CAPVT XXXV.

**P**orrò Gotti de quibus sat (opinor iam) diximus,  
Vandalis Arrianismi rabiem in Hispanijs afflaue-  
rant. Ideoque hi traicientes in Aphricam, per eas ma-  
ris angustias, quibus inter Hispaniã & Aphricam vastum il-  
lud æquor, bis senis milibus coarctatur, non modò illam ra-  
pinis, flamma, ferro, crudelissimè deuastarunt, verum etiam  
fidem catholicam Arriana impietate subuerterunt, grauissi-  
misque persequutionibus ecclesias catholicas oppressere.  
Gensericus enim, quem tum illa gens habebat ducem, in  
omnia quidem incredibilem crudelitate furebat, vsque adeo vt  
nec arbutis quidem parceret, ne forte quos antra montium  
aut prærupta terrarum vel seclusa quæque occultauerant, hi  
post

post eorum transitū, illis alimentis nutrentur, sed præcipue in ecclesias, & cæmeteria, & monasteria, sæuiebat: ac profigatis passim episcopis, nihil non iuris ac facultatum episcopaliū sibi vendicabat: maximeque Carthagini clericorū ministeria, templorum cultum, sacra omnia prophanauit, corrupit, euertit. Erat enim in vniuersum quidem captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue nobilitati ac religioni infensus, vt non discernetur, hominibus magis an Deo bellum intulisset. Nec verò fuere cæteri mitiores, quos neq; sexus infirmior, neque ætatis consideratio, neque reuerentia sacerdotalis à crudelitate reuocabat. Nam & paruulos ab vberibus rapiens maternis, barbarus furor, infontem infantiam elidebat in terram. Multis sacerdotibus atque illustribus viris, tanquam camelis aut iumentis alijs, ingentia onera imposuere: quos ita ferreis stimulis ad progrediendum urgebant, vt nonnullos sub fascibus & labor & dolor extinxerit. Carthaginensis autem episcopus Quod vult deus, insigni pietate clarus: maximaque simul turba clericorum, fractis impositi nauibus, nudi spoliatiq; in perniciem ire iussi sunt, sed eos diuinę bonitatis miseratio, Neapolim prospera nauigatione perduxit. Sed quid de persecutionis huius Vandalicę tempestate, quid de D. Augustino, (quem ille turbo iam senem inuoluerat) Possidius scriptum reliquerit, omittendum non putauit. Breui (ait) consequente tempore, diuina voluntate, & potestate præuenit, vt manus ingens diuersis telis armata, & bellis exercitata, immaniū hostium Vandalorum & Alanorum, commistam secum habentes Gotorum gentem, aliarumque diuersarum gētium personas, ex Hispanię partibus, trāsmarinis nauibus, Africę influxisset & irruisset: vniuersaq; per loca Mauritaniarum, etiam ad alias nostras transiens prouincias, & regiones, omni sæuens crudelitate, & atrocitate, cuncta quę potuit, expoliatione, cædibus, diuersisq; tormentis, incendijs, alijsq; innumerabilibus & infandis malis depopulata est: nulli sexui, nulli parcens ætati: nec ipsis Dei sacerdotibus, vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel edificijs. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem, ille homo Dei Augustinus & factam fuisse, & fieri, non vt cæteri homines, sentiebat & cogitabat, sed altius & profundius ea considerans, & in his animarum præ-

*Prosper in  
suo chroni-  
co.*

*Eccle. 1.*

cipuè vel pericula vel mortes præuidēs, solito amplius, (quoniam ut scriptum est, Qui apponit scientiam, apponit dolorem, & cor intelligens quasi tinea est ossibus) fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem, præ cæteris, suæ senectutis iam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas, pariter cum ædificijs, villarumque habitatores alios hostili nece extinctos, alios effugatos atque dispersos, ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras & quosque continentes vbiq; dissipatos, & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captiuitate, perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deseruire: hymnos Dei ac laudes ab ecclesia deperisse, ædificia ecclesiarum, quàm plurimis locis, ignibus concremata: solemnia quoque, quæ Deo debentur, de proprijs locis defecisse, sacrificia & sacramenta diuina vel non quæri, vel quærenti, qui tradat, non facile reperiri, in ipsas mortium syluas & cauernas petrarum & speluncas confugientes, vel ad quascumque munitiones, alios fuisse expugnatos & interfectos, alios ita necessarijs sustentaculis euolutos atque priuatos, ut fame contabescerent, ipsosque ecclesiarum præpositos & clericos, qui forte Dei beneficio, vel eos non incurrerant, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus, ad omnia, quibus fulciendi essent, subueniri posse: vix tres superstites ex innumerabilibus ecclesijs, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earum permanent ciuitates, & diuino & humano sultæ præsidio, licet post eius obitum vrbs Hipponensis incolis destituta, ab hostibus fuerit concremata. Et se inter hæc mala cuiusdam sapientis sententia consolabatur dicens, non erit magnum quòd cadunt ligna & lapides & moriuntur mortales. Hęc ergo omnia ille, ut erat altè sapiens, quotidie vbertim flebat, accreuitque mœroribus, & lamentationibus eius, ut etiam adhuc in suo statu consistentem ad eandem Hipponensium regionum ciuitatem, ab iisdem hostibus veniretur obsidendam: quoniam in eius tunc defensione fuerat constitutus Comes quidam Bonifacius, cum Gottorū quondam fœderatus exercitu; quam urbem fermè quatuordecim mensibus conclusam

elufam obfederunt. Nam & littus illi marinum interclufione abstulerunt: quo etiam nos ipsi de vicino cum alijs nostris eoepiscopis confugeramus, in eademque omni obsidionis tempore, fuimus: vbi nobiscum super his infortunijs sæpissime colloquebamur, & Dei tremenda iudicia præ oculis nostris præposita, considerabamus. Dicentes, iustus es domine et rectum iudicium tuum: pariterque dolentes, gementes & flentes, orabamus miserationum patrem & Deum omnis consolationis, vt de eadem nos tribulatione subleuare dignaretur. Et forte prouenit vt vnà cum eodem ad mensam constitutis, & inde confabulantibus cæperit coram nobis dicere. Noueritis me hoc tempore nostræ calamitatis Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos seruos ad preferendam voluntatem suam, fortes faciat, aut certè, vt me de hoc sæculo ad se accipiat: quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem & nos cum nostris omnibus, & ipsi qui in eadem fuerant ciuitate, à summo Deo similiter petebamus. Et ecce, tertio illius obsidionis mense, decubuit lecto, febris fatigatus, & illa vltima exercebatur ægritudine. Nec suum sanè Dominus famulum, suæ precis fructu fraudauit. Nam sibi ipsi & eidem ciuitati, quod & lachrymosis depoposcit precibus, in tempore impetrauit. Hęc Possidius, ex quibus non difficulter sane illius persecutionis atrocitas potest intelligi. Gësericus autè qui primus in Africa rex Vandalicæ gentis tantorum princeps malorum extiterat ab Eudoxia vocatus in auxilium, vt eius defuncti cõiugis Valentiniani cæsaris mortem vlcisceretur, hostili manu, vacuã præfidijs urbem inuasit: in qua tamen à cede atque incendijs abstinens, sola præda & spolijs cõtentus abscessit. Quippe venienti Leo Pontifex obuiam processerat, Tyrannumque rogauerat, vt ab ea ciuitate prohiberet iniuriam, cui immannissimus Attila pepercisset. Quæ verò (ait Victor) in Hispania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutijs, Lucania Epiro, vel Hellada gesserit, melius ibi, ipsi qui passi sunt, miserabiliter lugenda narrabunt. Tunc etiam Campania tota, igne, ferroque vastata, cum & Neapolim & Nolã eius prouinciæ nobilissimas vrbes, Vádali expugnassent: Beatus Paulinus Nolanus episcopus, diuini spiritus, quo plenus erat, instinctu, seipsum pro viduë cuiuspiam filio tradidit

*In fine lib. 1.  
de persecut.  
Vandalicis.*

*Greg lib. 3.  
dialog. cap. 1*

DE VARIIS PIORVM

tradidit in seruitutem: abductusque in Aphricam, Barbari nobilis coluit hortum: vbi tandem providente Deo, à quo missus fuerat, virtute viri & dignitate patefacta, cum suæ prouinciæ captiuus liber dimissus est. Eius videlicet vestigia secutus est Paulinus, qui serui formam suscepit, vt nos in libertatem assereret. Sic enim ille voluntariè seruus factus est solus (ait. B. Gregorius) vt esset postmodum liber cum multis. Perstitit autem in regno Vandalico Gensericus, annis triginta septem, mensibus tribus: cui è vita sublato, successit filius eius Hunnericus: siue. (vt apud quosdam legitur) Honoricus. Qui primordio regni, vt est barbarica subtilitas, cœpit mitius ac moderatius agere circa Religionem præsertim catholicam: vsque adeo vt cum fuisset antea Genserico rege decretum, ne spirituales fierent conuentus, hoc iam dissimulante, crebra concurrerent agmina populorum. Qui etiam, quo se magis religiosum ostenderet, lege constituit hæreticos Manicheos esse requirendos: è quibus multos flammis perdidit, plurimos distraxit nauibus transmarinis. Quia verò cõplures è suâ sectâ hominibus, id est, Arrianis, atque ipsos præsertim presbyteros & diaconos Manicheorum in luto hæere deprehendit (sic enim illi ab Arrianismo ad Manichæi stolidissimam heresim profecerant) idcirco in illo exarsit grauius, quòd propter eos erubescere cogere-tur. At longam dissimulationem diu ferre non potuit animo concepta crudelitas: ex qua deinceps tantum christiani sanguinis fudit propter heresim suam, vt ipsum sequi Neronem non magis potuisse putem. Denique præter exquisita supplicia, quibus sanctos complures vario genere carnificiæ confecit, ecclesias etiam obstruxit vniuersas, cements ingentibus, cunctaque monasteria Mauris, suæ crudelitatis iussa strenuè peragentibus, dedit. Memorabile autem illud insidiosæ etiam feritatis argumentum, quòd cum eius iussu, tanquam ad conferendum cum Arrianis de fidei negotio, Episcopi catholici, magno numero cõuenissent, ille doctissimos quosque tota è multitudine segregarit, confectis & instructis calumnijs enecandos. E quibus vnum Letū nomine, strenuum fidei catholicæ propugnatorem, post diuturnos squalores carceris incendio concremauit. Nec cæteris interea cõceditur optatus congressus, aut vlla ab Arrianis disputatio suscipitur: Sed sibi Cirila Arrianarum partium episcopus tan-

pus tanquam iudex potius, nō vt alio sub iudice certaturus, satellitum stipante caterua, superbissimum collocat thronū. Quod minimē ferentes catholici, & alia quædam æquiora postulantes, iubentur vniuersi centenis tundi fustibus, vsque adeo vt exclamans B. Eugenius dixerit: videat Deus vim quam patimur: cognoscat persecutionum magnitudinem, quam subimus. Cumq; Cirilē dixissent, proponerent ea mature quæ disposuisset, ille impudentissimo mendacio, Latine se nescire, respondit. Semper enim eum Latine loquutū esse, manifestò constabat. Atrocitatem itaque persecutionis non mediocriter auxilijs temporibus clericorum Arrianorum nequitia. Namq; tum haud minus Arrianorū episcopi, presbyteri, & clerici, quam reges & Vandali sauebant. Ad persequendum ipsi quaquaversum, gladijs accincti, procurrebant: inter quos cæteris crudelior vnus Antonius nomine, tam nepharia & incredibilia in pios catholicos exercuit, vt id explicari vix oratione possit. Fuit hic in quadam eremo proxima ciuitate, haud procul à Tripolitana prouincia: qui vt bestia insatiabilis, Catholicorum sitiens sanguinem, huc illuc ad intercipiendos fugientes, suo furore rapiebatur. Est etiam de quodā Felice Arriano presbytero memoriæ proditū, quam atrociter in pios monachos sauebat. Cum enim is esset natione barbarus, moribus seuus, facultatibus potēs, aduersus piam & catholicam doctrinam, infani furoris stimulis agitato, mittebat in omnem partem; qui simpliciter ambulantium obseruarent itinera, atque vsquam nec opinantes opprimerent. In his Felix Abbas & beatus Fulgentius capti, atque ad Arrianum presbiterum abducti fuere: à quo nec auditi pro sui defensione, grauissimis ita subijciuntur verberibus, vt violentos fustium impetus, præ doloris acerbitate ferre vix possent. Quid verò post verberum crudelitatem? confusus ob illata immanius flagella perfidus Arrianus, sanctorumque virorum merita sentiens, veritus est eos apud se retinere diutius: sed deformiter decaluatos spoliatosque vestibus, è domo sua nudos inanisque proiecit. Ac breuiter Arrianorum (ait Victor) serpentina proles, contra innocentes, genera talia tormentorum inuenit, qualia nec Mezentius exquisiuit. Ea tempestate illustris trium episcoporum & eruditio & virtus, apparuit, Eugenij Vindemialis & Lōgini. Cum enim Cirila Episcopus Arrianus præ-

*Consule Victoris historiam.*

*In vita Fulgentij quam eius descripsit discipulus. cap. 10. §. 11.*

*Mezentij meminit*

*Verg.*

*Aeneidos lib. 10.*

*Gregorius Turonensis.*

DE VARIIS PIORVM

cipuus tum illius hæresis assertor haberetur, B. Eugenius non modò illum coram rege verbo potentissimè confutauit, verumetiam vero miraculo falsum illius patefecit miraculum, hominemque confudit. Grauius ferebat ille trium catholicorum episcoporum stupendis operibus sic populum commoueri, vt illos, cuncti pœne sequerentur. Proinde ne hac in parte videretur inferior, datis quinquaginta aureis, subornat, qui cœcitatē arte simularet, prætereuntemque Cirilam, eiusmodi verbis compellaret: Audi me beatissime Cirila, audi me Sacerdos Dei, respice meam cœcitatē, experiar ego medicamenta, quæ abs te cæci sapius impetrarunt, quæ leprosi senserunt, quæ mortuis ad vitam recuperandam profuere. Adiuro te per ipsam, qua præditus es, virtutem, vt per te desiderata luce frui possim, qui graui sum cœcitate percussus. His ille vocibus tanquam permotus, paululumque secedens, mox curationem aggressus est: & spiritu vanitatis elatus, tanquam sua triumphaturus virtute, impositis capiti manibus dixit. Secundum fidem nostram qua in Deum rectè credimus, aperiantur oculi tui. Sed continuo post simulatio in veritatem, atque in planctum irrisio sacrilega conuertitur. Tantus quippe dolor miseri illius oculos corripuit, vt eos ne distumperentur, digitis comprimeret: atque eiulans & cruciatum non sustinens: Vech (inquit) mihi misero, qui seductus sum ab inimico diuinæ legis: vech mihi quòd Deum irridere accepta pecunia volui, & ab eo iustissimè, ipse sum irrisus: conuersusque ad episcopum Arrianum. Ecce (inquit) aurum tuum, redde lumen quod dolo tuo perdidisti. Cumque se ille nihil moueret, rubore suffusus, & ipsa confusione damnatus, Obsecro (ait cæcus) gloriofissimi Christiani, ne despiciatis miserum, sed succurrite pereunti. Tum verò commoti catholici episcopi, integram apertè profitenti de trinitate fidem, lumina reddidè. Ad hæc vero sanguinarius Hunnericus, erubescere coactus, non tamen aut respuit aut mitior effectus est: quin potius sanctos episcopos, post tormenta multa, post eculeos, post flamas, post vngulas, iussit interfici. Sed Eugenium quidem ecclesiæ Carthaginensis episcopum, tum demum truncari capite voluit, si fidem catholicam abnegasset: sin autem impendente ceruicibus gladio, heresim Arrianam detestaretur, morique pro sua fide se velle fateretur, suspenso gladio relegaretur

garetur in exilium: ne pro martyre coleretur à Christianis. Itaque B. Eugenius cum mortem fortiter cõtempfisset, pro-  
 tuenda catholica fide, ad Albigenfem (ait Grego.) Gallia-  
 rum vrberem exilio deportatus est, vbi etiam vitæ finem fecit.  
 Tyrannus autem Hunnericus diu sanctorum passus sangui-  
 ne, tandem à dæmonio correptus, proprijs se moribus la-  
 niavit vt scribit Turonensis: atque, vt author est Vticensis,  
 putrefacto secretioribus in partibus corpore, scatens vermi-  
 bus expirauit. Sequutus hunc est in imperio Trasimundus.  
 D. Fulgentij libris celebratus, quem tamen si laudat ille hoc  
 nomine, quod patre melior fuerit, placideque vocem eccle-  
 siæ audire voluisse visus sit, postea tamen crudelem eius  
 tyrannidem iudicauit ipsius Fulgentij cum alijs ducentis &  
 amplius catholicis episcopis, in pestilentam insulã deporta-  
 ti, durum exilium; eundemq; narrat ex Procopio Nicepho-  
 rus in violãdis catholicorum templis, Mauros ipsos, quibus  
 bellum intulerat, sacrilegij magnitudine superasse. Hoc au-  
 tem extincto, Childericus eius filius regnum Vandalorum  
 adeptus est, qui non patrem, (vt aiunt) hæreticum, sed ma-  
 tris catholicæ monita sequens, rectæ fidei cultor enituit.  
 Hunc pater moriens, cum non ignoraret catholicæ magis  
 parti fauere, sacramenti nomine curauit obstringendum,  
 ne catholicis vnquam in suo regno consulendum existima-  
 ret: verum mox vt illius genitor vita caruit, prius etiam quã  
 regni iura susciperet, cunctos episcopos quos in exiliũ Tra-  
 simundus eiecerat, reuocauit. Ecclesiasque passim dirutas &  
 labefactatas, instaurari curauit. Huc propterea necauit Gili-  
 merus postremus in Aphrica rex Vandalorũ, ab Iustiniano  
 pulsus & captus, in quo regnum concidit illius perfidæ cru-  
 delissimæque gentis. Atque, vt hanc concludamus perseque-  
 tionem, iuuat ipsum audire Iustinianũ in constitutione qua-  
 dam sua, breuiter de illa memorabili persequeutione loquen-  
 tem. Aphrica (inquit) per nos breui tempore recepit liber-  
 tatem, antea nonagintaquinque annos, à Vandalis captiua-  
 ta, qui animarum simul fuerant hostes, & corporum, nam  
 animas quidem diuersa tormenta atque supplicia non feren-  
 tes, rebaptizando ad suam perfidiam transferebant, cor-  
 pora vero liberis natalibus clara, iugo barbarico durissimè  
 subiugabant. Ipsas quoque Dei sacrosanctas ecclesias, suis  
 perfidijs maculabant, aliquas verò ex ijs stabula fecerunt.

Vidimus

*Turonensis.  
 Victor Vti-  
 censis in fine  
 lib. 3. hist.  
 Vandal.*

*In vita B.  
 Fulgentij,  
 cap. 28.*

*In Codice, de  
 officio præ-  
 fecti præto-  
 rio Africa.*

DE VARIIS PIORVM

Vidimus venerabiles viros qui abscissis radicibus linguis penas suas miserabiliter loquebantur: alij verò post diuersa tormenta, per diuersas dispersi prouincias, vitam in exilio peregerunt.

*De Longobardis Arrianis in Italia.*

CAPVT XXXVI.

*Epist. 17.*

*Epistola. 2.*

*Epistola. 31.*

*Lib. 5. Regist.  
Epist. 9.*

*Lib. 6. Regist.  
Epist. 23.*

**G**ens quoque Longobardorum, sicuti in pios ex ipsa gentilitate vehementer inuecta est, ita Arrianae haereseos affecta contagio (ex reliquijs, opinor, Gotticae corruptionis) Christianos catholicos, crudeliter est in Italia persequuta. De his Longobardis crebrae sunt querimoniae apud D. Gregorium, qui ea tempestate catholicam administrabat ecclesiam: vt libro primo registri. Quoniam (ait) nephandissimus Antharitus, in hac quae nuper expleta est, Pascali solemnitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solemnitatem Pascalem ulterius non videret: vestra (inquit) fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia vbiq; grauis mortalitas imminet, eosdẽ filios suos in Arriana heresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient. Et Lib. 2. propter eiusdem mortalitatis grassantis periculum, cū omnes Longobardos & Romanos, tum maximè gentiles atque haereticos admoneri vult, vt ad veram rectamque fidem catholicam conuerterentur. Quoties autem de horum gladijs crudelissimisq; caedibus ac direptionibus in Italia factis, lamentatur? Nam Lib. 4. cum calamitosum per hos reipub. statum, ostenderet. Post hoc (inquit) plaga grauior fuit aduentus Agilulphi, ita vt oculis meis cernerẽ Romanos, more canum, in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales, & epistola sequenti. Quis ferocissimae gentis gladius, in necem fidelium tanta crudelitate grassaretur, nisi nostra vita, qui sacerdotes nominamur & non sumus, à prauissimis graueretur operibus? Et alibi. Quanta nos à Longobardorum gladijs, in quotidiana ciuium nostrorum deprædatione, vel de truncatione atque interitu patimur, narrare recusamus, ne dum nostros dolores loquimur, ex compassione quam nobis impenditis, vestros augeamus. Ac rursus ancillas Dei quasdam collaudans, harum (inquit) talis est vita, atque intantum lachrimis & abstinentia districta, vt credamus, quia si ipsa

si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos, in loco hoc subsistere, inter Longobardorum gladios potuisset: & subiungit benedictionem sancti Petri apostoli, clauem à sacratissimo eius corpore, transmisi: de qua videlicet clauis, hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum ciuitatem ingressus, in transpadanis partibus inuenisset, quia sancti Petri clauis esset, despiciens, sed quòd illam auream vidit, facere sibi ex ea quippiam volens, eduxit cultellum, vt eam incideret. Qui mox cultellum, quo dissoluere clauem aggressus est, per spiritum arreptus, sibi defixit in guttur, eademque hora defunctus cecidit. Ac dum illic Rex Longobardorum Antharitus, alijque multi eius homines adessent, atque eum qui sese percusserat, seorsim mortuum, clauem quoque seorsim in terra iacentem, aspexissent, tanto sunt omnes metu concussi, vt eam leuare nullus præfumeret. Tunc quidam (ait) Longobardus catholicus qui sciebatur, orationi & elemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque hanc ipse de terra leuauit. Antharitus verò eo miraculo commotus, aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter, ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisi, indicans quale per eam miraculum contigisset. Sic Gregorius eo loco, libro verò tertio dialogorù. Vnum (inquit) narro quod per Bonifacium monasterij mei monachum, cui vbiq; ante quadriennium cum Longobardis fuit, adhuc ante triduum agnouit. Cum ad Spoletanam urbem, Longobardorum episcopus, scilicet Arrianus, venisset, & locum illic vbi solennia sua perageret, non haberet, cœpit ab eius ciuitatis episcopo ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Idem qui venerat Arrianus, Beati Apostoli Pauli ecclesiam illic cominus sitam, se die altera violenter intraturum professus est: quod eiusdem ecclesiæ custos audiens festinus cucurrit, ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem sequentis lucis crepusculo Arrianus episcopus collecta multitudine aduenit: clausæ ecclesiæ simul portæ diuinitus concussæ, abiectis longius seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia simul ecclesiæ clausura pauerunt. Extincto desuper lumine, omnes quæ extincta fuerant lampades accensæ sunt: Arrianus verò episcopus qui vim facturum aduenerat, subita cœcitate percussus est, atque alieni iam

Cap. 29.

DE VARIIS PIORVM

nis iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in regione habitantes positi omnes agnouissent, nequaquam vltius præsumpserunt catholica loca temerare. Hæc D. Gregorius. Ex quibus intelligitur Longobardos non modò eos qui adhuc gentilitatis erroribus implicati tenebantur, verumetiam illos, quos Arriana lues infecerat, Christianos catholicos, magnis semper odijs persecutos esse.

*De persecutionibus Donatistarum in Aphrica.*

CAPVT XXXVII.

**E**T hæcenus quidem de Arrianorum persecutionibus, quas idcirco Donatistarum aduersus Ecclesiæ motibus, hoc loco præposui, quòd & per imperatores ac reges actæ sint, & totum sic orbem terrarum concusserint, vt nulla penè prouincia, ab ijs libera fuisse videatur: Donati verò motus, intra Aphricæ fines, sese continuerunt. Denique Donatistæ ipsi non modò adiuuantibus, verum etiam reclamantibus principibus, tandem imitati sunt Arrianorum sæuitiam, quam iam præsidia Constantij Imperatoris armauerant. Certè Donati & Arrij tragœdiæ, si originem atque initia spectaueris, & vicinæ locis, & temporibus nõ admodum disiunctæ fuerunt. Si quidè in A Egypto Arrius, in Numidia verò (altero Aphricæ extremo) Donatus, turbarum seminaria posuere: ille in Alexandrina ecclesia, hic in Carthaginensi. Sed prius Donatiana tragœdia verborum dimicatione cœpit, armis verò posterius, solaque, vt dictum est in Aphrica, suum sparsit incendium. Ad hancigitur Aphricam diuexandam, licet Donatistis, Vandali Arriani successisse videantur, tamen de persecutionibus Donatistarum, ob eam quam reddimus causam, posterius dicendum esse putauimus. Et aliquando sanè isti, mansuetudinem simularunt, magisque ad sustinendam, pro sua parte fortiter, quam ad inferendam crudeliter persecutionem, parati esse videri cupierunt. Quin & illud apertè profitebantur, sæuire se nolle, & sibi de iustitia blandiebantur, hoc nomine, quòd persecutionem non inferrent ipsi, sed illatam pærentur. Videlicet quia scriptum legerant: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Quibus respondens August. Sæuire, inquit, vos nolle dicitis, ego non posse arbitror: Nulla bestia si neminem vulneret, propterea mansueta

sueta dicitur, quia dentes & ungues non habet. Hosigitur quando & in quibus habere cœperunt, tum clarissime demonstrarunt, quid & prius in votis haberent, cum mitius agere viderentur. Namque illorum furor (Augustino teste) occupauit Aphricam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem, contra suum errorem patiebatur, violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus, multa vastantes, cuncta terrentes. An non sacris saltem ædibus & rebus pepercerunt? minimè verò: à quibus, vt auctor est Optatus Mileuitanus, cum ampulla chrisimatis per fenestram vt frangeretur esset abiecta, ea tamen tanquam angelica cepta manu, illæsa & integra inter saxa consedit, nec sibi ab ipsarum ecclesiarum temperarunt incendijs, nec defuere qui in flammis ipsas Dominicos codices iniicerent. An non sacerdotalis saltem ordinis habuerationem? ne id quidem, imo verò hunc ordinem præ cæteris, grauissimis sunt odijs persequuti. Nam priusquam leges imperiales quibus coercerentur, venissent in Aphricam, insidias in itineribus episcopis catholicis tetenderunt: vsque adeò vt sibi propterea in via pedum errorem D. Augustinus aliquando profuisse gratularetur, cum euēnit, vt in quodam biuio falleretur, & non iret per eum locum vbi transitum eius operiens, Donatistarū manus armata subsederat. Quos autem episcopos aut clericos comprehendere potuerunt, hos plagis immanissimis affecerunt. Presbyterū quendam, quòd libera voluntate vnitatem catholicæ cōmunionis elegerat, suis ex ædibus raptum, & pro arbitrato immaniter cæsum, burda (vt loquitur Aug.) vestitum, cum quibusdam dolendum, quibusdam irridendum, in pompa sui facinoris ostentassent, abductum inde quo voluerunt, vix post dies duodecim dimiserunt: Quorundam per hos & oculi extincti sunt, atque episcopi cuiuspiam manus & lingua præcisa est, nonnulli etiam trucidati sunt. In Donatistarum igitur persecutione multa catholici, sed maximè episcopi & clerici, horrenda & dura perpessi sunt, vt hinc liceat eodem spiritu agi hæreticos & gentiles agnoscere. Siquidē & gentiliū potestatum furor in electissima quæq; Christi membra sæuiebat, maximeque (vt Leo testis est) eos impetebat, qui sacerdotalis ordinis esse videbantur. Nec verò desiderari in illis potuit ingeniosa crudelitas, cum in oculos extinguendos,

*Lib. 3. cōtra  
Iulianū, ca. 1*

*Lib. 2. cōtra  
Parmenianū*

*Enchiridij,  
cap. 17.*

*Aug. lib. 3.  
contra epist.  
Parmenia-  
ni, cap. 6.*

*Lib. 2. con-  
tra literas  
Petiliani Do-  
natistæ.  
cap. 83.*

*Cap. 88. lib.  
2. contra li-  
teras Peti-  
lia.*

*August. epi-  
stola 50.*

guendos, calcem misto aceto, incredibili excogitatione sce-  
leris immitterent. Quin & Membresitano cuidam Saluio,  
qui se ab ijs paululum, in ipso tamen communi Donatista-  
rum schismate diuiserat, tantas Abitinenses plagas & con-  
tumelias intulerunt, vt eius ceruici etiam mortuorum canum  
cadauera colligarent. Et Tuscorum quidem Tyrannorum  
hæc commemoratur antiqua crudelitas, vt mortua viuus, sed  
humana tamen humanis corpora coniungeret, canina vero  
humanis, & hæc episcopalibus membris, nescio vtrum quis-  
quam se vel audisse vnquam vel legisse meminisset. Quis au-  
tem (ait August. ipso alloquens) enarrare possit omnia, que  
nulla amicitia iudicum, aut aliquarum potestatum quisque  
vbi potuerit, in locis vestris propria dominatione commit-  
tatis? Quis vestrum in plebibus vestris non aliquid tale, vel  
à prioribus comperit, vel ipse expertus est? Nonne apud  
Hypponem, vbi ego sum, non desunt qui meminerint Fau-  
stinum vestrum regni sui tempore præcepisse, quoniam ca-  
tholicorum ibi paucitas erat, vt nullus eis panem coqueret,  
ita vt cuiusdam diaconi nostri furnarius inquilinus, domini  
sui panem incoctum abiecerit, eique nulla exilij lege dam-  
nato, communicationem non solum in ciuitate Romana,  
sed etiam in patria sua, nec solum in patria sua, sed etiam in  
domo sua negauerit? Quid nuper, quod ipse adhuc lugeo,  
nonne Crispinus vester Chalamensis, cum emisisset possessio-  
nem, & hoc Emphyteuticam, non dubitauit in fundo catho-  
licorum imperatorum, quorum legibus nec in ciuitatibus  
esse iussi estis, vno terroris impetu octoginta ferme animas,  
miserabili gemitu mussitantes, rebaptizando submergere?  
Denique cum eorum (vt idem testis est August.) vetus esset  
illa malitia, vt sæuirent fustibus, postea mirifice profecerunt.  
Namque inter vinolenta conuiuia, & cum fœminis maritos  
non habentibus, sed liberam comitandi, vagandi, iocandi, bi-  
bendi, pernoctandi licentiam, non solum fustes tornare, sed  
etiam ferrum vibrare, & fundas circumagere didicerunt. His  
igitur fiebat illorum artibus, vt contra eorum insidias aper-  
tissimaque latrocinia, vix vllæ ecclesiæ possent esse securæ,  
vix vlla via tuta, qua iter agerent ij præsertim, qui aduersum  
eorum rabiem pacem catholicam prædicarent. Sed opera-  
pretium est de hisce Donatistarum furoribus ipsum audire  
Optatum Mileuitanum. Is enim libro cōtra Parmenianum  
secundo

secundò, vt ostenderet Donati partem cruētis semper mor-  
 fibus pastam (quod illi catholicis propter imperatorum le-  
 ges alioqui moderatissimas falsò tribuebant) rabidum illo-  
 rum furorem à principio commemorat, impietatemque re-  
 texit. Igitur simulatque Iulianus apostata imperium arri-  
 puit, atque ex famulo Dei, ministriū se esse inimici palam  
 demonstrauit, hunc Donatistæ magna spe recuperandæ li-  
 bertatis adierunt. Hunc præcipuè rogastis, ait Optatus, vt  
 reuerti possētis: quas preces, si vos negatis misisse, nos legi-  
 mus, nec difficultatem præbuit quem rogastis: ire præcepit  
 pro voto suo, quos intellexerat ad disturbādā pacem cum  
 furore esse vêturos, erubescite si vllus est pudor. Eadem voce  
 libertas vobis est reddita, qua voce idolorum patefieri iussa  
 sunt templa. Eisdem penè momentis vester furor in Aphri-  
 cam reuertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxa-  
 tur. Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes ecclesiæ,  
 subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad  
 bella prouocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres,  
 cum conductā manu venientes Basilicas inuasistis. Multi ex  
 numero vestro, per loca plurima (quæ sub nominibus dicere  
 longum est) cruentas operati sunt cædes, & tam atroces, vt  
 de talibus factis ab illius temporis iudicibus relatio mitte-  
 retur. Sed interuenit & occurrit iudicium Dei, vt ille qui  
 vos iam dudum redire iusserat, imperator prophanus & sa-  
 crilegus moreretur, qui persecutionem vobis prouocanti-  
 bus, iam miserat aut mittere disponebat. Operata est apud  
 loca supradicta in catholicos trucidatio. Memoramini per  
 loca singula qui fuerint vestri discursus. Nōne de numero  
 vestro fuerunt Fœlix Diabensis, Ianuarius flamen Pisten-  
 sis, & ceteri qui tota celeritate cucurrerunt ad castellum Le-  
 mellense? Vbi cum contra importunitatem suam viderent  
 Basilicā clausam, præsentis iusserunt comites suos vt ascen-  
 derent culmina, nudarent tecta, iactarent tegulas. Imperia  
 eorum sine mora impleta sunt, & cum altare defenderent  
 diaconi catholici, regulis cruentati sunt, duo occisi sunt. Pri-  
 mus filius Ianuarij, & Donatus filius Mini, vrgentibus &  
 præsentibus coepiscopis vestris supra memoratis: vt sine  
 dubio de vobis dictum sit: Veloces pedes eorum ad effun-  
 dendum sanguinem. De qua re Primosus episcopus catholi-  
 cus, loci supra memorati, in concilio vestro apud Thenessi-

*Optatus Mi-  
 leuitanus.*

L. nam

DE VARIIS PIORVM

nam ciuitatem questus est, & querelas eius dissimulanter au-  
distis. Ecce à vobis factum est quod dixisti, Ecclesiam non  
esse, quæ cruentis moribus pascitur, & aliud sunt milites  
missi, aliud episcopi ordinati. Quod contra nos inuidiosè  
loquimini, ab alijs factum est, nō a nobis. Quod dicitis non  
debuisse fieri, vos fecistis. Commemorastis & beatum Pau-  
lum dixisse, Sine ruga & sine sorde ecclesiam esse debere.  
Episcopis vestris iubentibus atque præsentibus, super altare  
catholici diaconi occisi sunt. Similiter & apud Carpos non  
tibi videntur inexpressibiles sordes? In Mauritaniæ ciuitati-  
bus, vobis instatibus quassatio populi facta est. Mortui sunt  
in utero matrum qui fuerant nascituri. Non tibi videtur ru-  
ga, quæ non potest satisfactionibus tendi aut explanari?  
Quid tale à nobis admissum est? Nos expectamus vindic-  
cem Deum. Et inuidiā facitis Macario, qui si aliquid asperè  
fecit pro vnitatem, leue videri poterit, dum vos pro dissen-  
sione, tanta mala, acerba, cruenta, & hostilia feceritis. Quid  
commemorem Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ ciuita-  
tem? ad quam de Numidia Urbanus Formensis & Fœlix  
Idicrensis, duæ facultæ incensæ liuoribus cucurrerunt: qui &  
eorum in pace positorum animos perturbantes, nonnullo-  
rum officialium & fauore & furore iuuante, & Athenio  
præsidente præsentem cum signis, catholica frequentia exturbata  
& cruentata, de sedibus suis expulsa est, lacerati sunt viri,  
tractæ sunt matrone, infantes necati, abacti sunt partus. Ecce  
vestra ecclesia episcopis ducibus, cruentis moribus pasta  
est. Post hoc etiam illud addidisti: Quantum vult consumat  
edacitas vulturum, tamē maior est numerus columbarum:  
vbi est quod vulgò dicitur, Memoriam custodem habere  
oportet mendacem? Oblitus es quod paulò ante dixisti, Ec-  
clesiam vnā columbam in Canticis canticorum dictam: si  
vna est apud vos ecclesia, vna est columba. Quid est quod di-  
cere voluisti, Numerus maior est columbarum? Et quod  
vobis leue videtur facinus immane commissum, vt omnia  
sacrosancta, supra memorati vestri episcopi violarent, iusse-  
runt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iu-  
dicij, nam iidem canes accēsi rabie, ipsos dominos suos quasi  
latrones, sancti corporis reos, dente vindice tanquam igno-  
tos, & inimicos lanauerunt. Ampullam quoque chrismatis  
per fenestram vt frangerent, iactauerunt. Et cum casum  
adiuua-

adiuaret abiecto, non defuit manus angelica, quæ ampul-  
lam spirituali subuexione deduceret, proiecta casum sentire  
non potuit, Deo imminente, illæsa inter saxa confedit. Et  
possent ista non fieri, si mandata Christi in memoria habe-  
retis, qui ait: Ne dederitis sanctum canibus, ne conculcent  
pedibus suis eas, & conuersi elidant vos. Quid tale ab ope-  
rarijs vnitatis fieri potuit? vnde nobis catholicis vanam in-  
uidiam facere laboratis. Inde reuertetes Vrbanus Formen-  
sis & Fœlix Idicensis inuenerunt matres, quas ex castimo-  
nialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane,  
Episcopos celas: & cum pro tuis erubescere debueras, Ca-  
tholicos innocentes accusas. Interea supra memoratus Fœ-  
lix inter crimina sua, & facinora nephanda, ab eo compres-  
sam puellam, cui mitram ipse imposuerat, à qua paulo ante  
Pater vocabatur, nephariè incestare minimè dubitauit. Et  
quasi de peccato sanctior fieret, inde velociter properauit.  
Hæc Optatus Lib. 2. Sec accipe etiam pauca quædam ex ter-  
tio. Cum Bagaiensem ciuitatem Paulus & Macarius proxi-  
marent, (qui videlicet ad vnitatem hortarentur) tum alter  
Donatus eiusdem Ciuitatis Episcopus, impedimentum vni-  
tati & obicem venientibus supra memoratis, opponere cu-  
piens: precones per vicina loca & per omnes nundinas mi-  
sit, circumcelliones, Agonisticos nuncupans: ad prædictum  
locum vt concurrerent, inuitauit. Et eorum eo tempore  
concurfus est flagitatus, quorum dementia paulò ante ab  
ipsis episcopis impiè videbatur esse succensa. Nam cum hu-  
iusmodi hominum genus, ante vnitatem per loca singula  
vagarentur: cum Maxido & Fasir, ab ipsis insanientibus,  
sanctorum duces appellarentur. Nulli licuit securum esse in  
possessionibus suis, debitorū chirographa amiserant vires,  
nullius creditor illo tempore exigendi habuit libertatem,  
terrebantur omnes literis eorum, qui se sanctorum duces  
fuisse iactitabant: & si in obtemperando eorum iussionibus  
tardaretur, aduolabat subito multitudo insana, & præce-  
dente terrore, creditores periculis vallabantur. Et qui pro  
præstitis suis rogari meruerant, metu mortis humiles, im-  
pellebantur in preces, festinabat vnusquisque debita etiam  
maxima perdere, & lucrum computabatur, euasisse ab eo-  
rum iniurijs. Etiam itinera non poterāt esse tutissima, quot  
domini de vehiculis suis excussi, ante mancipia sua domino-

DE VARIIS PIORVM

rum locis sedentia, seruiliter cucurrerunt? Illorum iudicio & imperio, inter dominos & seruos conditio mutabatur. Et postea: Furebant illic, ait, vocatorum infinita milia populorum: pro quibus & annonam competentem, constat fuisse preparatam. De Basilica, quasi publica fecerunt horrea, expectantes vt venirent, in quos furorem suum exercere potuissent. Donatistarum igitur, siue circumcellionum humanitatem, sat opinor modo perspicimus. Quos licet aliquando tandem catholicorum principum arma & leges represserint: tamen & Magni Gregorij ætate sic eorum creuit audacia, vt non solum de suis ecclesijs eijcerent catholicę fidei sacerdotes, verumetiam rebaptizarent eos, quos vera confessione aqua regenerationis abluerat.

*Gregor. lib.  
3. Registri,  
epistola 32.  
35. & 63. ad  
Mauritium  
Imperatorē.*

*De persecutionibus Eutichianorum.*

CAPVT XXXVIII.

**Q**uid verò Eutichiani? non illi saltem continerent manus tanto duce Archimandrita? At ne isti quidem feritate ac violentia caruerunt. Nam Synodo Ephesi coacta, quę secunda Ephesina fuit, cum hæreseos contagione, vim ad cogendum, pœnis inflictis coniunxerunt: plurimos enim episcopos (teste ipso Leone Pontifice) qui oblatam hæresim constanter respuerat, sedibus suis pulsos, ad exilia deportarunt, eorumque in locum alios substituere. Quamobrem Leo ille sanctissimus, iure meritoque Ephesinum illud concilium, non iudicium, sed latrocinium appellauit. Vbi primates ipsi ad infringendam catholicam fidem, & ad execrabilem hæresim roborandam; alios, inquit, priuilegio honoris exuerint, alios consortio impietatis infecerint, sæuiores profecto in eos, quos persuadendo ab innocentia separabant, quàm illos quos beatos confessores persequendo faciebant. Sanè ad impiam subscriptionem, quantam vim adhibuerint, testantur quorūdam in Synodo Calcedonensi grauium episcoporum voces: è quibus Achatius vnus, episcopus Ariarathiræ, palam testificatus sic est: purę chartę subscripsimus compulsi, & multa vt id faceremus mala perpessi. Omnino, inquam, per potentiam oppressi tandem subnotauimus, vsque ad vesperum tenuerunt in ecclesia ipsa conclusos, & nec ægrotantes quidē nos quietem capere permiserunt aut recedere, vt aliquantulum nos  
recol-

*Vide Bre-  
uiarium S.  
Liberati,  
cap. 12.*

recolligeremus: Nam milites nobis & monachos fustibus & gladijs instructos, dedere custodes. Sic ille. Constat etiam aliunde cum militibus trecentos numero fuisse monachos Eutichetis, qui cædes & exilia minitarentur. Denique & armata militum manu Flavianus Constantinopolitanus episcopus, id agentibus Dioscori Alexandrini hæretici grauisimis inimicitijs, depositus ac depulsus est. Vir adeo clarus, vt quoniam illi hæc Eutichiana persequutio vitam ademerat, non modò cura Pulcheriæ Augustæ, iussuque Imperatoris eius coniugis, funus fuerit Constantinopolim honorificè reportatum, verum etiam hūc illi honorem in concilio Calcedonensi vox episcoporum detulerit, vt acclameret, Flauiano æterna memoria: Flavianus post mortem viuit, martyr pro nobis oret. Cæsus enim Ephesi fuerat, multisque affectus iniurijs, dolore plagarum migrauerat ad Dominum. Palestinam verò quàm exagitauerint Eutichianorum furia, vna testis esse potest epistola Leonis Pontificis ad Episcopos Palestinos, quos inter cætera huiusmodi verbis alloquitur: Cùm multis manifestationibus declaratum sit quàm rectè & Nestorium & Eutychen cum Dioscoro, fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius vel horum impietati præbet assensum, doleo vos euangelicæ & apostolicæ doctrinæ (vt audio) resultare, exagitando seditionibus ciuitates, conturbando ecclesias, nec solum iniurias, sed etiam cædes presbyteris atque episcopis inferendo, vt præ furore & sæuitia, propositi vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? vbi longanimitas patientiæ? vbi tranquillitas pacis? vbi firmamentum dilectionis & tolerantia fortitudo? Quæ vos ab euangelio Christi aut persuasio abduxit aut persequutio separauit? Vel quæ tanta extitit decipientis astutia, vt obliuii Prophetarum & Apostolorum, obliuii symboli salutaris & confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos actura fuerant vngulae? quid saua tormeta, si ad expugnandam fidei vestrae integritatem, tantum vana hæreticorum commenta valere? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiae nomine armamini, & contra ecclesiam dimicatis. Sensit horum quoque furorem & Alexandrina eccle-

*Consule acta  
concilij Cal-  
cedonensis.*

*Hac in 5.  
Liberati  
Breviario,  
cap 12.  
Epistola 83.*

DE VARIIS PIORVM

*Fide Liberati Breuarii, cap. 14. § 15.*

fia, mortuo quippe Marciano principe, collectis hæreticorum turbis, Timotheus & Petrus, Dioscori iam damnati sectatores, venerunt Alexandriam: eaque in sede, factione scismatica, aduersus legitimum episcopum, Timotheum pseudoepiscopum ordinarunt. Itaque duo repente apud Alexandriam episcopi esse cœperunt, triduo ante Pascha, cum Dominica in ecclesijs cœna celebratur. Catholicus episcopus, sanctus erat Protherius, quem in ecclesia, ad quã metu confugerat, perditis hominibus in id facinus cõparatis, ipso in baptisterio trucidant, laniant, eijciunt. Postremò funus ipsum incendunt, cineresque spargunt in ventos. Interea verò Leo sumit imperium, ad quem de tanto facinore, catholicorum querela peruenit, cum ex aduerso hæretici ab eodem Imperatore postularent, vt Chalcedonensis Synodus aboleretur. Et ipsius quidem Leonis Pontificis, ad Leonem Imperatorem hac ipsa de re legitur epistola, qua illum eiusmodi verbis commonefecit. Nonne perspicuum est quibus pietas vestra succurrere, & quibus debeat obuiare? ne Alexandrina ecclesia, quæ semper fuit domus orationis, spelunca nunc fiat latronum? manifestissimum quippe est, per crudelissimam insanissimamque sæuitiam, omne illic celestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrisnatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria. Nec villo modo ambigi potest, quid de his decernendum sit, qui post nephanda sacrilegia, post sanguinem probatissimi sacerdotis effusum, audent sibi ius persuasæ dignitatis expetere, & Apostolicæ doctrinæ inuolabilem fidem ad concilia prouocare. Magnum ergo vobis est, vt diademati vestro de manu Domini etiã fidei addatur corona, & de hostibus ecclesiæ triumphetis. Quia si laudabile vobis est aduersarum gentium arma contere, quanta erit gloria ab insanissimo tyranno, in cuius contritione omnium est ecclesiarum iniuria, liberare? Hæc sanctissimus Pontifex: quibus simulque alijs motus Imperator, tulit opem laboranti Alexandrinorum ecclesiæ: hæreticus ille Timotheus de præsumpto episcopatu deponitur, eoq; in exilium relegato Petrus quoque fuga elabitur. At Leone è viuis sublato cum Basiliscus occupasset imperiũ, rursus Synodi Calcedonensis damnatio, rursus catholicorum fuga secuta est. Redduntur hæretici suis

*Cap. 16. apud Liberatum plenius hæc ipsa leges.*

suis

suis & honoribus & locis, & sacra diuinaque omnia hæretico tyranno sæuiente, calcantur. Sed haud multò post tamen, ea quoque tempestas sedata est. Oppresso enim Basilisco, Zeno prouectus ad imperium, catholicum episcopum Alexandrinæ ecclesiæ restituit. Verùm (vt animaduertas priorum vitam ex prosperis & aduersis mirabiliter sepe contexti) Zenoni post annos sedecim mortuo, successit Anastasius, qui inimicos Synodi Calcedonensis fouēs, orthodoxos grauius est persecutus. Namque præter episcoporum exilia, etiam Macedonium episcopum catholicum apud Gangas interficiendum curauit. Denique nec visis terrificis permotus, nec Hormisdæ literis sanatus (quanquam nec antea Gelasij grauiissima illi monita defuerunt) etiam eius legatos à suis reiecit aspectibus, nauique fragili impositis mandauit, ne vsquam per totam Græciam ad aliquam ciuitatum diuerterent. Quin & inter cætera, quæ ad Hormisdam scripta direxit, hoc quoque apertissimè posuit: Nos iubere volumus, non nobis iuberi. Quam eius impiam temeritatem diuina ultio in eius celeriter subsecuta morte, monstrauit. Eodem enim tempore, nutu eius qui & regibus imperat, cælesti fulmine ictus interiit. Meliore mente fuit Iustinianus princeps, quem B. Agapitus Pontifex, cum post colloquium reperisset in Eutichetis dogma corruisse, licet graues ab eo peiessus exilij minas, tamen vsqueadè constanter admonuit atque corripuit, vt hæc tum ab eo vox missa legitur. Ego ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum venire desiderauit, sed nunc Diocletianum inueni: Ille verò Pontificis correptione & eruditione permotus, (Namque Anthimum etiam eiusdem regiæ ciuitatis episcopum, palam differendo reuicerat) monitis lætus acquieuit, sedemq; Apostolicam veneratus fidei catholicæ confessionem, vna cum multis qui similiter desipuerant, amplexus est. Anthimum quoque disputatione quidem superatum & conuictum, sed in erroris tamen assertionem pertinaci animositate persistentem, communionem priuauit, persuasoque principe in exilium ire coegit. Sed hoc mortuo Constantinopoli Pontifice, Siluerioq; Romæ eius in locum ordinato, abs Theodora Augusta præceptio allata est ad Belisarium, aduersus Gottos in Italia tunc agentem, vt Papam Siluerium quacunq; ratione & arte circumuentum, deponeret: aut certè transmitteret

*In lib. Pontifici de Hormisdæ vita.*

*In lib. Pontificali, tomo 2. concil.*

DE VARIIS PIORVM

Constantinopolim, propterea quod Anthimum hæreticum recipere in communionem recusasset, quod Belisarius, tametsi inuitus, urgente iussione improbæ & impiæ mulieris, nihil moratus effecit. Nam neque in eam rem comparata & empta defuerant testimonia falsa multorum, qui se affirmarent sæpius deprehendisse Siluerij literas, quibus Gotto Romam aduocaret, pollicitus si venirent, eam sese illis traditurum esse. Pulsus igitur est eiusmodi causæ pretextu B. Siluerius, tandemque in Palmariam insulam relegatus, in qua etiam exulans, variaque afflictione & inedia confectus, ex hac ærumnosa vita migravit. Quin & ipse Vigilus quamquam per scelus Siluerij successor esset, atque reuocaturum esse Anthemium si pontificatu potiretur, Augustæ promississet, tamen cum loci sui memor id facturum se constantissimè negauisset, publica affectus contumelia, grauissimèq; afflictus est: Clerus quoque ipse, qui eum fuerat comitatus Constantinopolim, exilio multatus, atque ad metallum incidenda damnatus est.

*Vide hæc plenius in Breuiario Liberati, cap. 32.*

*Sic reperies de Acephalis in quadam epistola Orientium ad Agapylum Papam, quæ ponitur actione 1. concilij Constantinopol. 5. Originis verò Acephalon & nominis rationem, reperies in Breuiario Liberati, ca. 9. in fine, quod ponitur tomo 2. concil.*

De Acephalis. CAPVT XXXIX.

**P**ORRÒ cùm ab Eutichetis & Dioscori furij excitati essent, illi qui Acephali nuncupati sunt, dici vix potest, quantum Orientem totum sæuendo turbauerint. Deplorarunt hoc, pluribusque verbis finestas eorum tragedias prosequuti sunt, Siriæ & Palestinæ Archimandrite & monachi, in ea epistola quam ad Mennam scripserunt Constantinopolitanum patriarcham, ipsamque Synodum quæ tum in regia illa vrbe iam quintò celebrabatur. Commemorant eorum sceleratos impetus in sacerdotes, ac religionum pios cœtus: referunt carceres & vincula, & rapinas, & digitorum confractiones violentas, quibus pios quoque cruciabant. Ne verò his parum fecisse viderentur, addunt non modo ipsos diu noctuque latrocinando iugulasse permultos, verumetiam Iudeorum latrocinantiū turbas collegisse, quas in viros sanctos ex insidijs immitteret, horumq; opera laniasse non paucos ac membra insepulta sparsisse. His Acephalis sese Seuerus quidam adiunxerat Antiocheni episcopatus violentus vsurpator, cuius scelestam mentem atque operibus cruentis ecclesiam Antiochenam luctu & moestitia completam esse, clerus eiusdem ecclesiæ conqueritur, s. ribens

scribens ad Synodum aduersus Seuerum congregatam. Quam enim, atunt, tragœdiam non exceſſerunt ac ſuperarunt, mala attentata à Seuero. Qui primum quidem, (vt quomodo vixerit prætereamus, veſtris auribus parcentes) nulli vnquam eccleſiæ cõmunicaffe videtur, deinde calumnia ſagittis inſtructus, aggreſſus eſt exagitare mitiſſimum paſtorem Flauianum, eius ſedem violenter & contra canones arripuit: indeque inſtar mercenarij non ſolum non pauiſt ouile Chriſti, verumetiam operatus eſt ea quæ ferarum ſunt, oues iugulando & diſpergendo: Nouitates autem & blaſphemias aduersus Deum fingens, nulli ſanctorum patrum pepercit, perſeueratque in ea mentis & vocis obſtinatione, abdicans etiam Synodos pro pietate congregatas. Nam ſanctam Calcedonenſem Synodum anathematizare & impugnare auſus eſt: quæ maximè firmavit ſymbolum 318. ſanctorum patrum, quæ etiam ſuſcepit 150. ſanctos patres, & eos ſimiliter qui in Epheso contra impium Neſtorium conuenerunt. Bene manifeſtum euadit, quod & prædictas auerſetur atque oderit tanquam huius ſorores. Et quot quidem homicidia ſanctorum monachorum fecerit, manibusq; Iudaicis huiusmodi iugulationem iniunxerit, neque nos chariſſimi, neq; aliorum quenquam latuit. Dirum enim ſpectaculum præbuere iacentes viri (qui religioſis certaminibus uſque ad canitiem decertarant) nudi & inſepulti, iſque ſupra trecentos ex ſecunda Syriorum prouincia nati, canibus & auib; lacerandi proiecti. Similia autem & ſimiliter miſeranda ſunt ea quæ in xenodochijs, id eſt hoſpitalibus, ab ipſo facta ſunt. Vincula enim ædificat etiam nunc, multosque pro fide tetricis carcerum tenebris & flagellis enecat. Talia ſanctiſſimi & circa fontes in lauro facere non dubitauit, & veneficijs ibidem vtens, ſceleſtis ſacrificijs demones colit, & hoc tota illa magna ciuitas cantat. Neque verò ipſis ſanctis altaribus pepercit, neque ſacris vaſis, è quibus aliqua conſans ea ſui ſimilibus erogat. Præſumptum eſt autem ab ipſo, & hoc, ô beatiſſimi, columbas aureas & argenteas in formam Spiritus ſancti ſuper diuina lauacra & altaria appenſas, vna cum alijs ſibi appropriauit, dicens non oportere in ſpecie columbæ Spiritum ſanctum nominare. Pecunias quidem & domos, & quæcunque in optimis fundis erant, exportauit & expedit, & grauiſſimis uſuris eccleſiam

*Concilium  
Nicenum.  
Concilium  
Conſtãinop.*

DE VARIIS PIORVM

fiam obruit. Et illi quidem ad hunc modum. Scripsit ad eadem Synodum & Epiphanius episcopus Tiriōrū literas, plenas querimoniarū propter Acephalorū insolentissimam insaniam, qui occupata (vt ait) Dei genitricis domo, inter cætera venerabilem etiam crucem lapidarunt: è clero & populo non paucos affixerunt, ipsum episcopum mortiferis insidijs, ad supremum vsq; periculum adduxerunt. Cum autem & Petrus quidam, qui sibi Apamiarum præfecturam, cōtra omnem ecclesiasticam sanctionem arripuerat, eodem impietatis spiritu exagitaretur, quæ designata per eum sint, breui sermone explicari non potest. Namque huic obsidere monasteria, diripere, viros illic Deo charos trucidare, impudicas mulieres in sacras aedes introducere, peierare, blasphemare, Simoniacè ordinare, cędibus altaria ipsa inquinare, sacras vestes dilaceratas particulatim suis dare, catholicorum episcoporum nomina delere: suorum, hoc est, Ioannis & Dioscori & Timothei, sub inscriptione sanctorum substituere, aliaque istiusmodi furoris plenam committere, pro ludo erat. Vox sanè eius illa non ignota fuit: Omnes ecclesias & altaria comburet Deus, & faciet vallem vnam. Hac enim eius verba fuisse testatur instrumentum exhibitum à clero Apameensi in Synodo Constantinop. in qua & illa de eodem Petro verba expressa sunt. Cum stat in sacrificio incruento, non in ipsum, sed in formas astantium sceminarum omnem intellectum confert. Sed & sputis decolorauit venerabilis altaris pannum rubeum, &c. Taceo furores in ipsam Iustiniani pijssimi imperatoris imaginem, quibus declararunt quid passurus ipse fuisset, si illum æquè vt ipsius imaginem in potestate habuissent.

De Monotelitis. CAPVT XL.

**E**Vtichianos in persequēdis catholicis sequuti sunt Monotelitæ, Cùm enim callidè quidam in Christo duas naturas cōfiterentur vnitatis, quo eiusmodi cōfessionis specie catholici viderentur: non quòd vtramque alteri, salua vtriusq; proprietate naturæ copulatā agnoscerent, sed quòd post vnitionem vnicam remansisse naturā cogitarēt, cœperunt de yolūtate ipsa & operatione verbis duntaxat nouam mouere quæstionem. Vnāne in Christo esset an duæ dicerentur vnitæ, vt si vnica diceretur voluntas & operatio, con-  
tinuò

tinuò vnicam esse quoque naturam oportere colligerent :  
Sin duplex voluntas & operatio , tum absurdum quiddam  
vel ridiculū de vna dici persona videretur . Sanè cū ageret  
Heraclius imperator apud Hieropolim , adiit eum Patriar-  
cha Iacobitarum Athanasius , vir acris & nequam ingenij ,  
Sirorum inditas versutias possidens : atque introducto de  
fide sermone , pollicitus est Heraclius , si Chalcedonensem  
Synodum suscepisset , Patriarcham illum Antiochiæ se esse  
facturum . Ille his allectus promissis , suscipere se dixit Syno-  
dum , confiteriq; duas vnitas in Christo naturas . Tum verò  
imperatorē interrogat de operatione ac voluntatibus , quo-  
nam modo has in Christo conueniret asserere , duplas an  
simples ? hic verò imperator quæstionis ac vocis nouitate  
consternatus , mox Sergium Constantinopolis , & Cirum  
Phaselidis episcopos aduocat , eosque interrogatos in vnam  
operationem ac voluntatem , vna cum Athanasio consen-  
tientes inuenit . Horum & imperator acquiescens iudicio  
(tametsi ad Ioannem Papam de illorum sententia retulisse ,  
Romanæque sedis censuram qua illa damnabatur , accepisse  
legatur) declaratam illam bello Persico virtutem , nō solum  
militarem , verum etiam Christianam haud mediocriter ob-  
scurauit . Testis sanè optimus est Martinus ipse Pontifex ,  
Heraclium imperatorem in erroris huius affectione fauto-  
rem atque adiutorem extitisse . Cū enim ad Amandum  
scriberet , eiusmodi inter cætera verbis est vsus : Credimus  
enim ad vos peruenisse , quomodo in conturbatione rectæ  
fidei & catholicæ ecclesiæ conculcatione , ante hos plus mi-  
nus quindecim annos , à Sergio falso episcopo Constantino-  
politano in auxilio habente , tunc imperantem Heraclium ,  
execranda & abominanda hæresis pullulauit , & Apollina-  
ristarum , & Seuerianorum , & Eutichianistarum atque Ma-  
nichæorum errores renouans : quam successor eius Pyrrus ,  
idemque episcopus , qui ambitionis fastu Constantinopoli-  
tanam sedem inuasit , in deterius auxit . Quamobrem sæpius  
Apostolica sedes , persuasionibus , cōtestationibus atque in-  
crepationibus plurimis admonuit eos , quo ab huiusmodi  
errore recederent , & ad lumen pietatis ex quo lapsi sunt , re-  
mearent . Et non solum hoc facere nullatenus voluerunt , sed  
& nunc successor eius Paulus temerator fidei , episcopus  
Constantinopolitanus , nequius aliud excogitauit in præiu-  
dicium

DE VARIIS PIORVM

dicium catholicæ fidei, ea quæ à prædecessoribus suis hæreticè exposita fuerant, destruens: & imperialem typum sacrilego ausu, totius plenum perfidiæ, à clementissimo principe nostro fieri persuasit, in quo promulgatum est, vt omnes populi Christiani sic credere debuissent. Hæc in ea epistola sanctus Pontifex. Commentum autem Pauli huius Constantinopolitani tale fuit, vt assereret neque vnâ, neque duas volûtates aut operationes in Christo statui oportere. In quo asserêdo propugnandoq; vsq; adeò insanijt, vt altare sanctæ sedis Apostolicæ, quod erat Constantinopoli in domo Placidæ consecratum, atque in oratorio venerabili constitutum diriperet, subuerteret, prohiberetq;, ne Apocrisarij sedis Apostolicæ adorandam, & immaculatam hostiam illic offerrent, aut communionis sacramenta perciperent. Atq; hi vna cum alijs orthodoxis viris, quoniam iussu eiusdem Apostolicæ authoritatis illum sæpe & grauius corripiebant, partim ab eo mancipati carceribus, partim affecti verberibus, partim in exilia sunt deportati. Ea causa Martino Pontifici fuit Synodum cogendi Romanam, quæ Lateranensis dicta est, centum quinque, siue vt aliàs legitur, centum decem episcoporum: in qua damnati sunt Cirus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, Constantinopolitani Patriarchæ, tanquam ecclesiæ Christianæ hostes, fideiq; catholicæ corruptores: declaratumque est expressius duas in Christo voluntates atq; operationes, sicuti naturas duas, & agnosci & prædicari oportere. His igitur cognitis Constantinus imperator, Heraclij nepos, hæresi Paulianistarum infectus, & schismaticorum conatum cruentus adiutor, direxit in Italiam Olympium Exarchum qui eam regeret, cogeretque hæresin quam ipse probaret, suscipere, omnesque episcopos eius de religione decretis subscribere. Sed hoc Italiam ingressus Olympius frustra perficere conatus est, obsistente cleri populiq; concordia singulari, tametsi potenti sese exercitu ad eam rem armauisset. Ideoque cum se animaduertisset, ecclesiæ constantia & fidei vnitæ superatum, ad alia conuersus consilia, statuit Martinum Pontificem, si qua fraude possit, occidere. Mandat Spatario suo, vt cum ei communionem Martinus in ecclesia porrigeret, interea ipse nihil metuentem, interficeret. Verum hic quoque non humana industria, sed diuina planè cura & potentia, nequis-

nequissimum Exarchi studium frustra fuit. Percussus enim cæcitate Spatarius, Pontificem sacram eucharistiam Olympio porrigentem videre non potuit. Itaque his permotus Olympius, sibi putauit conquiescendum esse, cum se diuinitus sentiret à tanto facinore prohiberi. At non conquiescit impiissimus Constans, mortuo namque haud multo post Olympio, misit Theodorum Exarchum cum mandatis aduersus Pium Pontificem, quem Deo iam permittente de ecclesia Saluatoris ereptum, perduxit Constantinopolim. Illic eum Constans variè tentatum & cruciatum, cum inflexibilem comperisset viri constantiam, perpetuo & ærumnoso destinauit exilio, in quo vitæ finem habuit, miraculis diuinitus illustratum. Maximum ille quoque & alios catholicos non paucos, verberibus & exilijs & proscriptionibus, propterea quod hæresi suæ non acquiescerent, condemnauit. In quibus duos etiam Anastasios, qui discipuli fuerant Maximi confessoris & martyris, tormentis exilijsque puniuit. Denique cum & fratrem Theodosium interfecisset, ob hæc omnia cœpit exosus esse Bizantijs, vsqueadeò vt metu anxius, Romam transferre meditaretur imperium. Sed sex in Sicilia transactis annis, illicin balneo à seruo quodam, situle vnde lauabatur, iactu peremptus est. Post autem aliquanto tēpore, cum & pius Constantinus successisset in imperium, & Agatho in sede esset Apostolica collocatus, Constantinopolitana sexta Synodus, ad Monotelitarum euersionem coacta est. Siquidem ab Heraclij temporibus per impios sacerdotes distractæ vbiq; & vulneratæ iacebant ecclesiæ. Quarum ad faciendam cōcordiam turbasque schismatum componēdas, totum se dedit pijsissimus imperator. Nec verò ardens eius studium sine fructu fuit. Quippe detectis Monotelitarum sacrilegis fraudibus, Synodorū falsationibus, imperitiâq; demonstrata, vel ad communionem sedis Apostolicæ rediēre, vel confusi, silere coacti sunt. Quo pertinere creditum est, quod tum non sine admiratione omnium contigisse memoratur, vt telæ aranearum nigerrimæ copiosissimæque medium in populum passim deciderent. Quia nimirum sordes hæreseos expulsæ essent atque deiectæ, & ecclesiæ Dei in vnitatem fidei catholicæ reuocatæ. Nisi fortasse magis existimandum sit tetriora grauioraque significata esse, quæ profectò sequuta sunt. Nam sextæ quidem Synodi

Synodi

DE VARIIS PIORVM

*Ioannis Zo-  
nare tom. 3.  
Annalium.*

*Actione pri-  
ma concilij  
Niceni se-  
cundi.*

Synodi valuit authoritas, dum catholicus præfuit imperator. Sed vt testis est Nicolaus Pontifex ad imperatorem Michaëlem scribens, à sexta Synodo imperatores plerique hæretici, catholici perpauca fuerunt. Itaque Philippico imperante (qui regnandi libidine sextam sese Synodum condemnaturum esse promiserat, cum ei, si hoc faceret, imperium esse repositum quidam monachus hæreticus prædixisset) exurrexere passim, quæ semper multorum in animis fovebantur pristina mala, nec desuerunt illi sacerdotes & religiosi, qui eodem acti spiritu, fidem catholicam etiam scripto persequerentur, quos catholicis abiectis, ad sedes sublimiores euexit. Ruebat enim Græcia regum suorum atque sacerdotum, & sceleribus in regno, & execrandis erroribus, in religione passim Arrij, Nestorij, Eutichetis, & Dioscori voces multi iactabant, dicentes se, nisi satis ex veteri & nouo testamento instructi essent, sanctorum patrum, sacrarumq; sex Synodorum doctrinas, & catholicæ ecclesiæ traditiones sequuturos esse. Denique vt totius ecclesiæ Christianæ se hostes esse declararent, etiam superis indixere bellum, quorum nec ferendas imagines putauerunt. Sequuta enim hæc quoque persecutio est, quæ miserandum in modum, Græcas labefactauit ecclesias.

*Persecutio Iconoclastarum in Græcia, ipsiusque tandem  
Græciæ defectio. CAPVT XLI.*

*Zonaras An-  
naliū, tom. 3  
Est & apud  
Nicephorum  
de quodam  
Xenaia Per-  
sa & Fortu-  
na seruo,  
quod Domi-  
nicā & san-  
ctorū docue-  
rit non reci-  
piendā ima-  
ginē, eamq;  
doctrinā dis-*

**N**AM quod Iudæus quidam (tametsi duosalij memorent) ex Laodicæa Maritimæ Phœnicis oriundus, maleficus, Arabum principi Gizid seu Isthidus, suggesterat fore, vt per annorum quadraginta spatium principatu frueretur, si ex omnibus suæ ditionis ecclesijs imagines diuorum eiecisset: Leo Isaurus sibi id quoque postea suggestum ab eodem impostore faciendum in imperio credidit. Fascinatus enim pro suorum merito flagitiorum, perfidi Iudæi, eiusdemque malefici nouo & nephando commento, sibi primum aduersus imagines verba faciendi sumpsit officium. Quamobrem à Gregorio secundo Pontifice commonitus est grauibus literis, non oportere Imperatorem de fide verba facere, multoq; magis ab eo alienum esse debere, venerandam vetustatem adeo prophana & sacrilega nouitate subruere. Cæterū quid apud eum proficeret verbis qui

qui venundatus erat ad faciendum malum? Missus enim præter alios in Italiam est Paulus Exarchus, qui Pontificem interficeret: præsertim cum is & eam ob causam tollendus omnino imperatori videretur, quòd inusitatis vestigalibus Italiam ab eo premi, ecclesiasque spoliari suis opibus minime pateretur. Sed cum esset hoc tentatù frequentius, tamen benignissimo fortissimoq; Deo humanos irridente conatus nihil effectum est. Motis enim Romanis atque adeo Longobardis ipsis pro Pontificis salute certantibus, finesq; munitibus, Romanę ditionis impia tela frustrata sunt. Audet nihilominus sacrilegus imperator grauiora iubere, decernit vt nulla in ecclesia imago sancti cuiuslibet, aut martyris, aut angeli haberetur: cui præcepto si Põtifex acquiesceret, eum gratiam initurum maximam, sin repugnaret, de suo gradu deturbandum esse. Hic verò præcipue vir pius prophanam despexit principis iussionem, iamq; aduersus imperatorem vt Christi & ecclesię publicum hostem armare sese cœpit, monereq; cæteros & hortari, vt eam omnes impietatem execrarentur. Itaque permoti Pentapolensium & Venetiarum exercitus, fortiter impijs iussionibus restiterunt, atque aduersus quascunque Græcorum vel insidias vel impetus, armis Pontificem religionemq; defenderunt. Constantinopoli verò, partim minis, partim blandimentis effectum est, vt detraherentur quæcunque vsquam hærent diuorum imagines, atque in medium congestæ ciuitatis locum, ignibus cremarentur: ecclesię verò quæ depictæ essent, dealbarentur. Hæc qui fieri quantum in ipsis situm erat, fortes multi ciues non sinebāt, partim capite truncati, partim mutilati aut flagris cæsi, pro fide & constantia verè Christiana, pœnas acerbis reportarunt: præcipueq; illi qui nobilitate generis aut prædicationis verbo clari videbantur, vel membrorum detruncationes, vel exilia, vel flagra, rerumq; iacturas perpeffi sunt. Quia eo quoque progressus est Saraceni iam potius quàm Christiani principis insanus furor, vt eruditionum scholas à magno quondam Constantino erectas, atque in id tempus cum ingenti reipub. Christianæ fructu conseruatas, extingueret: ipsamq; bibliothecam exquisitissimis refertam libris, vnà cum duodecim Theologis, incendio consumeret. Nec verò circa venerandas duntaxat imagines errabat imperator, verù etiam magistros sequutus Arabes,

*seminauerit  
asserens se  
clericū, cum  
nec esset ba-  
ptizatus.  
Tempore  
Zenonis im-  
peratoris.*

*Zonaras 10-  
mo 3.*

DE VARIIS PIORVM

Arabes, diuæ virginis sanctorumque intercessionibus pro nihilo ducebat, reliquias martyrum vt ossa prophana, prophatissimus ipse calcabat: antecessores suos principes Christianos, simulque doctissimos superiorum temporum patriarchas, vt idolorum cultores condemnabat. Huic eum in modum furienti, constanter restitit Germanus episcopus Bisantinus, quem etiam cum ille minas blandis subinde sermonibus temperaret, dixisse ferunt, depositionem quidem sacrarum imaginum prænunciatam esse, sed eum cuius sub imperio fieret, non Leonem, sed Cononem appellari. Tum verò illo respondenti reuera sibi in baptismo Cononis inditum nomen, continuò hunc cohorruisse, deprecatumque esse, ne per eius imperium tantum impleretur mali: Antichristi enim præcursores fore illum, ac Dominicæ incarnationis euersorem, qui hoc adeò sacrilegum patraret scelus: ob eamque rem tantum odij furiosissimum Leonem collegisse aduersus sanctum episcopum, vt omnibus modis operam daret, quo illum non vt gloriosum confessorem, sed tanquam aduersus imperium aliquid molientem de throno deponeret. Nec verò ferus hic atque immanis imaginum hostis, Damasceno minus infestus fuit. Nam quia vir ille pius & doctus, Apologiam eruditissimam pro imaginum cultu conscripserat, fidelesque homines in hoc pietatis erga Christum officio creberrimis literis continere studebat, iniquissime id ferens imperator impius (quoniam animaduertebat pauperis cuiusdã & abiecti monachi industria suos conatus eludì) regi Damasceno persuasit, Ioannem illum nepharium esse quendam perduellem, cui nihil esset prius ac potius, quam vt patriam vna cum ipso rege proderet. Ex quo rex barbarus subita indignatione commotus, viri sanctissimi dexteram qua profligatissimum Leonem irritauerat, amputari iussit, vt quæ atramento paulò ante pissimè conscripserat, sanguine consignaret. Ac testis quidem est Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus qui Damasceni scripsit vitam, illum amputata manu, rara spe erectum & animatum, ad virginis Deiparæ quamquam imaginem confugisse, ab illaque virgine cuius ante imaginem prociderat, precibus ardentibus impetrasse vt manus ei stupendo miraculo redderetur. Longum foret, neque nostri est instituti Leonis huius beluina plenius facta retexere: qui post annorum complurium persequutio-

nem

nem dignus profectò fuit, cui filius impijssimus succederet. Constantinus enim (qui ex fœdato dum baptizaretur sacro fonte, Coprominus est cognominatus) agrestis & ferus, & ipse per tyrannidem abutens imperio vna cum principatu, paternæ quoque malitiæ hæres effectus est. Cumque is & magica maleficia & cruenta sacrificia, luxuriasque cum sacrarum imaginum odio coniunxisset, ecclesijs catholicis ac personis infestissimum sese hostem præbuit. Nec persequebatur modò minis, flagellisque, & piorum cæde scuiendo, verumetiam Synodos faciens, virosque orthodoxos (quorum de numero Germanus Damascenusque fuerunt) Anathematizãs, specie ecclesiastici decreti, rudiores decipere nitentur. Iusiurandum quoque exegit ab hominibus, quos suo subiectos habebat imperio, nullum ipsos honorem cuiquam imagini delaturos: multosque ob eam rem & principes & milites, quòd adorassent comprehesos, acerbissimis pœnis affecit. Vincebat sanè hic Arabum, Christianum nomen eodem tempore persequentium ferociam, hisque crudelius in monachos & clerum scuebat, si quem præsertim audisset eruditæ pietatis opinione clarum esse. Omnibus quoque locis beatæ Dei matris sanctorumque patrocina quibus nostra apud Deum causa nò mediocriter adiuuatur, tum scriptis, tum sine scripto sermonibus conuellebat: tantaque fidei corrupendæ libidine tenebatur, vt etiam Nestorianismum aliquãdo gestierit inuehere. Accersito namq; Patriarcha, eiusmodi verbis vsus memoratur: Modo quid vos læderet, si dixerimus Theotocon, Christotocon? Ille verò hunc complexus, ait: Parce animæ tuæ, ô Imperator, ne ad vllum tui contagium fermo hic nouerumpat. An ignoras quantopere ecclesiæ toti detestandus videatur Nestorius? Ad quæ protinus imperator discendi studio se hoc percuntatum esse respondit, iussitque ne de toto colloquio foras quidquam efferretur. Ne verò solus ipse per se parum faceret, cui in studio id erat primum, vt optimos quosque locis omnibus persequeretur. Tres diuersis imperij sui partibus prætores constituit, vt eadem furentes infania, ita nequitæ adiutores suæ, promptissimosque scuitæ exequutores futuros, per quos edita in pios exempla crudelitatis, nec longa complecti queat oratio, cum interim imperator ipse Constantinopoli nihil remissius ageret, sed alios per vrbes

M

plateas

Zonare to-  
mo 3.

DE VARIIS PIORVM

plateas protractos inhumaniter projiceret, alios sacris inuolutos & alligatis lapidibus graues, orbatosque luminibus in pelagus demergeret, aliorum nares præcideret, aliorum flagris ossa & neruos cute nudaret, nec erat tormenti genus tam inusitatum ac nouum, quod non excogitaret in eos qui piè inter tam impios tyrannos viuere nitebantur. Quid? quòd si quis vsquam corruens vel dolens familiarem Christianis vocem emisisset, Dei genitrix adiuua, aut vigilias agere, aut ecclesijs assuetus esse, aut alioqui religiosè viuere deprehensus fuisset, mox vt imperatoris inimicus damnabatur? Quid? quòd sanctorum monasteria, quibus passim Græcia floruerat, aut in militum suorum domicilia conuertit, aut euertit funditus? Monachorum verò sic maculauit ac dehonestauit ordinem, vt quemque mulierem manu tenere atque in publicum hoc modo procedere iusserit. Iuramentis ipse assuetus frequentibus neminem probabat, cui non crebro foret in ore iurandum, cõuiuijs intempestiuis atque impudicis saltationibus, si quis non similiter oblectaretur, imperatori charus esse nõ poterat. Quin & hunc imitatus ac tanquam idoneum secutus ducem quidam nomine Draco, vt quòd nomine præferebat, re quoque ipsa commonstraret, omnes monachos & monachas in Thraceforum partibus commorantes apud Ephesum congregauit, ijsque in campum eduçtis, ait: Qui vult imperatori ac nobis obedire, alba induatur veste, & vxorè hac ipsa sumat hora: quisquis verò hoc facere parui penderit, priuatus luminibus in exilium relegabitur. Tum verò in tãta multitudine mira discretio dissimilitudoque animorum conspecta est. Nam multi dum parère recusant, martyrio coronati sunt, alij deficientes & enervati, perierunt. Quos sibi familiares Draco faciebat. Vænundabat hic quoque monasteria virorum atq; mulierum, vasa item sacra & agros ac pecora, pretiaque horum omnium ad principem deferebat: Monachos non paucos partim enecauit verberibus, partim gladijs trucidauit: Quorundam barbæ cera oleoque perunctis ignem subiciebat, istoque modo & faciem & capita concremabat. Deniq; monasticum institutum sic est persecutus, vt nullum monastico habitu conspici intra suæ præfecturæ limites pateretur. Ob quæ omnia ab imperatore laudatus, & gratiarum actione magnificè honestatus, exemplo multis fuit, vt simili

rabie

rabie in pios quosque grassarentur. Sed Constantinus, cum triginta quinque & paulò amplius annos expleuisset in imperio, sanguinariam illam suam & modis omnibus inquinatissimam vitam funesto quoque fine conclusit. Namque ardentissimis correptus febribus, desperatione salutis ex scelerum conscientia plenum pectus dissimulare non potuit, vociferans & dicens, viuum sese adhuc igni inextinguibili traditum esse: postulasse tum quoque ferunt eum, vt beatæ Dei generici suus restitueretur honos, quem crebris, in vita blasphemijs labefactauerat. Huic Leo succedens post aliquanti temporis simulationem, venenum quod pectore continebat, tandem euomuit. Complures enim ob venerationem sanctarum imaginum comprehensos & inclementer cædi, & vinctos per vrbis plateas sacrilegorum quorumque ludibrijs exponi iussit. Verùm huic ad scæuendum breuiora tempora cõcessa fuere: cum enim fureret in lapides, magnæ ecclesiæ coronã vehemẽter adamauit, quã dũ imponere capiti nititur, excidẽtibus carbunculis læsus, valida succedente febris rapitur è vita, cum imperium annis quinque diebusq; sex tenuisset. Hoc mortuo respirare pijs licuit sub Irene filioque eius Constantino. Quo tempore celebrata est Synodus Nicena secunda, œcumenica septima, aduersus inimicos ecclesiæ sanctarumque imaginum: ad quam præter catholicorum præsulum magnũ numerum, etiam aduersarij quidam resipiscentes, cum pœnitentiæ libellis conuenerunt, magnoque consensu doctrinam impiẽ dudum aduersus sanctas imagines oblatrantem, damnauerũt. At euolutis annis aliquot, piaque Irene sublata, succedens in imperium Nicephorus, Reipub. Christianæ obligata vulnera renouauit. Quo mōstro (magis enim hoc nomine dignus videtur) quid versipellius ad circumueniendum? quid auarius & insatiabilis ad extorquendum? quid alienius à religione sancta? quid promptius ad persequendum? Nam præter Iconoclastas quorum in pios cornua vehementer erexerat, fauoreq; suo non mediocriter roborauerat, etiam Manichæos peculiari fouebat amore. Qui dum intrepidẽ versarentur in imperio, & nemine repugnante sua passim venena diffunderent, non paucos infandis erroribus suis vitiarunt. Denique cum & ecclesias & monasteria grauibus premeret exactio- num oneribus, tantæque ob eam rem omnium ordinum

DE VARIIS PIORVM

querimoniam lamentaque resonarent, ut à quodam ministro suo Theodosio Salibara patricio, moneretur eiusmodi verbis: Omnes, ó Domine, contra nos clamant, & in tempore tentationis casui nostro congratulabuntur, respondit: Si Deus obdurauit cor meum ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt à Nicephoro? Theodosi noli expectare præter ea quæ abs te conspiciuntur. Huius itaque principatu non alius ferè grauior extitit, omnesque eos qui antea imperauerant ambitionibus & luxurijs, & barbaricis crudelitatibus superauit. Quamobrem iucundus eius fuit interitus, tametsi cum magna Romani imperij confusione coniunctus. Namque Sclauinorum princeps Crumus, eius recisum caput, per dies complures è sublimi ligno suspendit, posteaque ipsum cute nudans & argento forinsecus vestiens, bibere ex eo Sclauinorum principes exemplo suo docuit gloriabundus. Fuit post Nicephorum in imperio non mitis solum, verumetiam pius & catholicus Michael Rangabis, qui quod promiserat cum diadema susciperet, nulla se ecclesie violaturum instituta, neque Christianorum sanguine manus commaculaturum esse, sic præstitit ut cum multi inueteratam aduersus imagines insaniam, renouare studerent: quibusdam comprehensis mediocriter multatis, cæteros à simili conatu deterruerit. Sed mox eum sequutus Leo Armenius crebrò iam repetita contra sacras imagines bella suscitauit, planeque instar nephariae beluae tractauit eos, qui illas venerari viderentur. Habebat autem hic adiunctum sibi Theodotum quendam impium, quem amoto Nicephoro sede Constantinopolitana donauerat: qui simulatque sacrilega ista ratione sacrum adeptus est principatum, liberè palamque in sanctas imagines grassari cœpit: cumque aliquando diuina Isaie verba in ecclesia recitarentur. Cui assimilastis Dominum? num imaginem eius facit faber, aut aurifex similitudinem parauit? accessit propius atque imperatori in aurem insurrexit. Audi prophetam domine, ei que obtempera. Tum verò Leo turbidam illam Iconomachorum peruersitatem quam ad latietatem usque hauserat, insania maiore profudit, & cum alioqui saeuus esset, iraque implacabili aduersum delinquentes fureret, cœpit Dei cultores ut impios persequi, atrocesque pœnas comprehensis irrogare. Nec verò tolerabiliorem habuit in imperio  
succes-

successorem, Michaelem Balbum Amorrhæum, is à Phrygijs quibusdam impostoribus viriatus ea heresi, quæ Judaica præter præputij resectionem instituta sequebatur, cum syncreti nihil haberet in religione, sentina quædam videbatur esse sectarum. Ac tametsi pollicitus erat se neque ecclesiæ constituta mutaturum, neque cuiquam vim allaturum, ut aliter quam vellet sentiret, tamen & oppugnauit orthodoxos, & multos crudeliter tractauit, e quibus Euthymium Sardinum Archiepiscopum ob sanctarum imaginum cultum in exilium egit, eundemque a filio suo Theophylo crudeliter flagris caesum, ad martyrij coronam misit. Quid enim homine illo in errore tetrius? quid inquinatius sceleribus? Sabbata ieiunare iubebat, resurrectionem mortuorum non credebat, prophetas irridebat, daemones esse pernegabat, scortationem peccatum non putabat esse vllum, Iudæ proditori salutem asserbat, Pascha celebrandum alio tempore quam ecclesia consuesset, affirmabat. Haud igitur mirum si monstrum adeo varium in pios sæuierit. Magis Theophylum eius in imperio successorem liceat admirari, qui cum neque formarum pulchritudine facile caperetur, & æquitatis esset amantissimus, tamen sacrarum imaginum ipse quoque strenuus fuit persecutor. Cumque omnes in suam impietatem pertrahere conaretur, sæuus admodum in pios fuit, atque ut iustitiæ, sic & eius quam ipse probabat religionis defensor acerrimus. Itaque subditos ab imaginum cultu, intento prorsus animo contendebat abducere: eaque de causa multos puniebat, ut quæadmodum intemperanti lingua solitus erat dicere, procul eos ab idolomania depelleret. At imperatrix Theodora, clā marito, sacras imagines studiosè venerabatur. Cuius aliquando cōclauē fatuus quidam ingressus qui in delicijs habebatur, postquam id esset conspicatus, fecit more fatuorum ut id imperator cognosceret: interrogatus enim vnde venisset, à Manna, (sic enim dominam vocabat) se venire, pulchrasque pupas vidisse respōdit. Imperator autem pupas imagines esse suspicatus, commotus & ira æstuans, adiit imperatricem, eaque referens quæ ex fatuo didicerat, grauibus in illam verbis inuectus, idololatram appellauit. Sed nō insulsa mulier promptissimè excogitat, quo mariti furorem temperet. Neque enim, inquit, imagines ille vidit, sed quum speculū intueretur, formas quæ in eo repre-

DE VARIIS PIORVM

sentabantur, pupas appellauit. Vsq̄ue ad eò autem infectaba-  
tur venerandarum imaginum cultores, vt nec earum picto-  
res ferre posset. Ob eam enim causam monachum quendam  
Lazarum, pictorem tum celeberrimum, crudelibus excru-  
ciatum modis, coniecit in vincula: qui cum ex plagis recrea-  
tus, iterum pio picturarum operi se dedisset, ignitis laminis  
eius aduri ac debilitari manus, tyrannica ille sæuitia iussit.  
Verùm id frustra fuit. Namque vt ab Arrianis in Aphrica  
lingua mutilati quidam, postea tamen diuino miraculo re-  
periuntur esse locuti, ita hunc eiectum carcere, plaga s̄que re-  
centes adhuc manibus gestantē, probè nihilominus pinxisse  
ferunt. Sanctum quoq; Methodium, qui post Ioānem præ-  
stigiatorum & hæreticum, Patriarchalem ornauit sedem,  
peruersæ opinionis suæ refragantem, post multos cruciatus  
contusionemq; dentium, in exilium impius relegauit Theo-  
phylus. Quin & eundem intra monumentum cum duobus  
latronibus includi iussit. Quorum altero mortuo, quantam  
molestiam vir sanctus ex teterrimo cadaueris foetore tole-  
rarit, non facillè quisquam dicēdo consequatur. Quippe hunc  
memoriæ proditum est, in eo sepulchro septem circiter an-  
nos exegisse. Itaque Theophylus imperator suo in catholi-  
cos furore breui effecit, vt eius haud alioqui mediocria, &  
iustitiæ, & continentia bona pro nihilo ducerentur. Eo verò  
defuncto Theodora imperatrici primùm id in studio fuit,  
vt persecutio aduersus catholicos ob venerandas imagines  
incitata compesceretur. Cæterum Michaelis huius filij fu-  
tile nimis ingenium, cuiusmodi obsecro in religione fuisse  
putemus? Namque literas ille schismaticum plene spiritum  
redolentes ad Nicolaum Pontificem misit, quas totas bla-  
sphemis atq; iniurijs plenas fuisse, & ab ipsis inchoatas con-  
uictijs, memorati Pontificis rescripta declarant. Cùm enim  
obicisset inter cetera, antecessores suos complures impera-  
tores non fuisse Romani Pontificatus sedem, suarum litera-  
rum honore dignatos, nimirum vt eam iure à se quoque  
contemni posse monstraret: respondet Pontifex hoc ma-  
gis eis dedecori fuisse, quòd per tot annorum, vt ait, curri-  
cula diuersarum hæreseon morbis languentes, medicinale  
remedium non quæserint; quin potius medicinam spontè  
sibi porrectam quasi desperati, vel quasi cor impcētes ge-  
rentes, ab ipsis faucibus proiecerint, dum tantæ salutis oblata  
mini.

ministros, duplici modo interemerunt: quoniam aut parti-  
 cipes illos sui erroris effectos, spiritualiter, inquit, occiderunt,  
 sicut tempore reuerendæ memoriæ Cononis Papæ conti-  
 git, qui post sextam Synodum extitit: aut certè corporaliter  
 illos non consentientes sibi, necauerunt, sicut sub venerabili  
 Papa Gregorio factum est, qui post sextam Synodum fuit,  
 quando pro zelo fidei & sanctarum imaginum reuerentia,  
 religiosi viri ac Dei famuli directi, in exilium missi sunt, &  
 bona confessione huius mundi finierunt vitam. Denique à  
 sexta Synodo imperatores, aut hæretici, aut (licet perpauci)  
 catholici fuerunt. Et hæretici quidem, si mittere ad nos de-  
 dignati sunt, non est mirum. Nouerunt enim per gratiam  
 Dei se nos nunquam penitus sibi sociaturos. Fuit autem  
 quando nos sibi sæpè sociare tentantes, cum magno sunt  
 dedecore & opprobrio repulsi, & digna constantia à nobis  
 & non à Constantinopolitana ecclesia crebrò retusi. Quādo  
 verò catholici fuerunt, & pium dogma, vel ecclesiasticam  
 correctionem defendere voluerūt, nostrum præsidium quæ-  
 sierunt, sicut Synodus sub Constantino & Hirene facta in-  
 dicat, in cuius initio, id est, in epistola beatæ memoriæ præ-  
 fulis Adriani, quantum idem Pontifex illam præsumptio-  
 nem qua ex laicis quidam subito tonsurantur, & in episco-  
 porum numerum exacerbate profiliunt, damnauerit; si di-  
 ligenter inquisieritis, profectò inuenietis. Si tamen non fal-  
 sata Græcorum more, sed sicut à sede missa est Apostolica,  
 penes ecclesiam Constantinopolitanam hætenus perseue-  
 rat. Ac post in eadem epistola: In tantam verò furoris, ait,  
 abundantiam prorupistis, vt linguæ Latinæ iniuriam irro-  
 garetis, hanc in epistola vestra barbaram & Scyticam ap-  
 pellantes, ad iniuriam eius qui fecit eam. Hæc Nicolaus.  
 Igitur ea quoque tempestate catholicæ inter Græcos pre-  
 mebantur ecclesiæ, dum non solum schismaticus Michaël  
 imperaret, verū etiam Photius repente, & contra sacrorum  
 canonū ordinem, ex laico & milite factus episcopus, Igna-  
 tio sancto & catholico reiecto, Constantinopolitanæ eccle-  
 siæ nauiculam non regeret, sed mergeret. At succedente  
 postea Basilio in administrationem imperij, cum is diuina  
 miseratione pius & catholicus esset, celebrata est Synodus  
 octaua Constantinopoli, in qua Photio damnato, iterumq;  
 Iconomachorum impio dogmate profligato, sedis Apосто-

DE VARIIS PIORVM

lica culmen Græcia venerata est: Et Synodi schismatice à Photio Constantinopoli celebratæ, impia decreta rescidit: de qua quidem Synodo hæc verba sunt, actione septima, Conciliabulū vanitatis à Photio & huius fautore Michaele, videlicet tyrannicè imperante, Constantinopoli nuper aduersus Apostolicæ sedis reuerentiā & priuilegium congregatum, vtpote veritatis inimicum & omni falsitate repletum: & sibi consentientium animas interficiens, Ephesino latrocinio comparandum fore statuimus, & ipsius execranda gesta (quibuscunque habeantur monumentis inserta) summi iudicis Domini nostri Iesu Christi, sanctorum Apostolorum principum Petri & Pauli, nostræq; mediocritatis autoritate penitus abolenda decernimus, ita vt igni tradantur, & anathemate perpetuò percellantur. Et hæc quidem ab octaua Synodo decreta leguntur. Sopitis autem aliquando Iconomachorum turbis, non tamen hæresibus erroribusque varijs carere Græcia potuit, quin & post aliquanti temporis exacto spacio extitit imperator Manuel Commenus, qui cum more nouo & publicè declamaret, & religionis institutiones parturiret, non mediocrem noua periculosaque disputatione fidei persecutionem excitauit. Etenim quæstione de eo primum proposita, quod scriptum in euangelio legitur: Pater maior me est, pro nihilo reuera habitis veterum patrum commentarijs, proprias interpretationes, Dei verbo, vt tum ab eruditis existimabatur, derogantes proferre non dubitauit, eademq; tueri mordicus. Cum enim alij censeant patrem, vt filij authorem siue originem dici maiorem, alij hoc ipsum ratione assumptæ naturæ scriptum arbitrentur: ille his omnibus improbat ita suum commentum anteposuit, vt indicto concilio, omnibusque sacrarum literarum studiosis conuocatis, hortatus sit, quo suis placitis subscriberent, decretumque suum rubra scriptura tãquam ense flammeo communivit, quo mortem minitabatur, & excommunicationem ei qui vel submurmurare, vel certè introspicere ausus fuisset. Hoc ipsum decretum postea quorundam assentatoriū consilio, lapideis insculptum tabulis, in maximo templo dedicauit. Aliud deinde proposuit decretum quo Machometi Deus defensabatur, & superiores imperatores, sacrorumque antistites apertè taxabantur, qui Deum verum ineruditè & incōsideratè, anathemate

notari

notari passi essent. Extabat enim inter cæteras catecheticae tabulae sanctiones anathema in Machometi Deum, quem neque genuisse, neque genitum, sed holosphiron esse affirmabat. Hoc igitur anathema ex omnibus catecheticis libellis aboleri voluit, ab ipsa magnæ ecclesiæ tabula auspicatus. Prætexebat autem blasphemias in Deum qualibuscunque offendi Saracenos, qui alioqui ad religionem Christianam accessuri viderentur facilius. Inter cætera porro deficientis languentisque Græciæ mala, Astrologorum turba fuit, qui non modò annos, & menses, & hebdomadas, verumetiam dies & horas, punctaque rebus ijs quas superstitiosè prædicent, designabāt. Ab his & imperator ipse fasciatus, cum plures sibi vitæ annos, in ijsq; voluptates ac triumphos polliceretur, præter opinionem raptus, minus reipub. quàm res postulare prudentioribus visa fuerat, consuluit. Cùm autem ad schisma valde Græcia propenderet, sæpiusq; sese ab Apostolica Petri sede seiuugeret: eò magis & inquinabatur prauis atque irreligiosis ritibus, & Romanos atque catholicos furiosius detestabatur. Quæ res declarata est cap. 4. concilij œcumenici Lateranensis, eiusmodi verbis: Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis Apostolicæ reuertentes, fouere & honorare velimus, mores ac ritus eorū quantum cum Deo possumus sustinendo: in his tamen illis deferre non volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & ecclesiæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum ecclesia, cum quibusdam complicibus, ac fautoribus suis, ab obedientia sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, vt inter alia quæ in derogationem eorum impiè cõmittebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, nō prius ipsi sacrificare vellent in illis, quàm ea tanquam per hoc inquinata lauissent. Baptizatos etiam à Latinis & ipsi Græci rebaptizare, ausu temerario præsumebant, & adhuc (sicut accepimus) quidam agere non verentur. Volentes ergo tantum ab ecclesia Dei scandalum amouere, sacro suadete concilio, districtè præcipimus vt talia de cætero non præsumāt: conformantes se tanquam obedientiæ filij sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri suæ, vt sit vnum ouile & vnus pastor. Si quis autem aliquid tale præsumperit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio eccle-

*In Annali-  
bus Nireæ  
Coniata.*

DE VARIIS PIORVM

siastico deponatur. Hæc eo loco de Græcorum schismate. Postremò tanquam aut parum superiorum temporum veteres errores sufficerent, aut minus probabilem ecclesie Romanæ desertionem reddere viderentur, noua suscepta est de Spiritus sancti processione doctrina, quæ catholicæ & Romanæ sedis traditioni in diuina scriptura veterumque libris fundatissimæ velut ex aduerso opponeretur. Cumque hic quoque post aliquanti temporis scissuras coaluissent cum Romanis Græci, adnitente vehementer concilio Florentino: neque patriarcha modò Constantinopolitanus, verum etiam complures alij doctissimi episcopi, vnà cum imperatore suo Paleologo orthodoxæ & Romanæ fidei decreta firmauissent, non multo post tamen solita videlicet leuitate, in pristinam sese secessionem abruperunt.

*De persecutionibus Machometistarum.*

CAPVT XLII.

**A**T quanto magis ab ipsa Petri sede orthodoxaque fide Græcia defecit, tanto magis aduersus eam Machometistarum & Turcorum arma valuerunt, donec tandem in potestatem redegere. Hostes erant illi Christiane religionis acerrimi, per quos vt multarum provinciarum punita est perfidia, ita varijs locis aut oppressa pietas, aut grauissimis persecutionibus attrita est. His autem persecutionibus initium dedit pseudopropheta Machomet, obscuro quidè loco natus, sed ingenio versipellis, morumque prauitate nequissimus, qui cum per se plurimùm in corrumpenda religione valeret, tum abs quodam Sergio Nestoriano, haud mediocriter narratur adiutus. Is igitur callidissimè ad plerorumque ingenia suas leges ac doctrinam attemperans, impietatem effinxit multiplici varietate blasphemam, totamque penitus à Christianis institutis abhorrentem: in qua ne hæreticam fraudulentiam desideres, nec Iudaicam superstitionem, nec fœdos gentilitatis errores. Quid enim aliud quàm fucus hæreticus est, Nestoriano de fonte descendens, Christum confiteri prophetam, virumque diuino spiritu præditum, ac bonæ luo tempore legis authorem? Sed hunc cum & Deum negat, vereque crucifixum diffitetur, sacramentum nostræ salutis euertit: cum autem adiungit suas cum leges imposuisse, donec meliora venissent, tertij cuiusdam

dam summiq̄ue instituta prophetæ (quem sese prædicare non dubitauit) profectò & ipsum nomē Christianū abolere conatus est. Iam verò circuncisio, & lauacra, & suillæ reiectio, obseruationesq̄ue aliæ, quas eius Alcoranus expressit, nõne Iudaicam superstitionem apertissimè præ se ferunt? ad quam & illa doctrina pertinuit, vsque adeò non malefacere qui suum odisset inimicum, vt qui eum interfecisset, aut ab eodem esset interfectus, is ob id ipsum donādus esset paradisi delicijs. At cuius obsecro paradisi, quibúsve delicijs? Namque ne campi deessent Elisij, quos stulta fingebat Gentilitas, mellis lactisq̄; copia & carnalium affluentia voluptatum, paradisi beatitudinem terminauit. Ad quam proinde consequendam non modò non impediēbat, verū etiam conducebat vxorum in hac vita multitudo. Ideoq̄ue vxores singulis quatuor de propria cognatione constituit, concubinas verò seruasq̄ue emptitias, tot omnino quot alere quisque possit. Hæc omnia pluraq̄ue alia quæ prosequi longum foret, vnus Dei professione tegebantur, sed qui vt antea significatum est, nec genuisset, nec genitus esset. Nam impossibile est, ait, Deum habere filium: Cuius etiam cum impijs Gentilibus sustulit prouidentiam, mundum hunc cum Democrito sentiens fortunæ temeritati subiectum: Ac ne si res via & ratione esset explicata, in malè suscepta causa cedere cogeretur, omnem disputationis aditum suis edita lege preclusit, vt non de nihilo visum sit eruditis quibusdam hominibus esse illum Antichristum, cuius etiam aduētum religiosa formidauit antiquitas. Cùm enim scribat Ioānes Antichristum esse illum qui Iesum soluat, ac vel diuinitatem ab humanitate, vel humanitatem à diuinitate seiungat, quis hoc isto fecit perfectius, qui sic merum hominem & prophetam Christum esse confessus est, vt eius religionem sanctioris meliorisq̄ue prophetæ aduentus excluderet? Nec verò Dei voluit aduersarius videri, quem vnum cæli terræq̄ue Dominum sua institutione profitetur, sed Christum ex professo loco mouet, seque ipsum vt pro salutis habeatur authore, substituit. Etenim vetus est hæc de Antichristo Christianorum opinio idola damnaturum esse, sed quæadmodum Irenæus ait, vt pro idolo solus ipse colatur, & qui per multas abominationes adorant diabolum, hi per hoc vnum idolum seruiant ipsi, de quo, inquit, Apostolus in epistola quæ est ad

Thef-

Thessalonicenses, ait sic: quoniam nisi venerit abscissio primū, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduersatur & extollitur super omne id quod dicitur Deus aut colitur, id est, super omne idolum, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens semetipsum tanquam sit Deus. Tamen si ea Pauli verba quæ in vno quopiam homine intelliguntur à pluribus, nonnulli ad Antichristi corpus referant, multitudinemque ipsi adhærentem: rectiusque putant (quemadmodum August. ait) etiam Latine dici sicut in Græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est ecclesia: Sicut dicimus, sedet in amicum, id est, velut amicus. Certè Machometicæ sectæ ingens vbiq; pene terrarum vniuersitas, damnatis cæteris templum Dei sese esse iactat, nullosque alios Deo censet amicos: nimirum quia tradidit Machomet neminē extra suam legem posse salutem consequi, tamen si idem alio loco sui oblitus, secumque pugnans asserat in sua quemque fide saluari. Huic perditissimæ sectæ & initia & incrementa peperit, multorum à Christo discessio: in quibus dudum mysterium operabatur iniquitatis dum in ecclesia esse videbantur, donec ad tantum numerum peruenēre, vt ingentem Antichristo populum effecerint. An dubium est Machometo tantum sectatorum fuisse numerum, vt leges suas etiam gladij potuerit fauente robore? posteaquam enim leges suas, quas ad angelum Gabielem referebat, quoque se monitore cuncta gerere mentiebatur: Has, inquam, leges postquam stupidis imposuisset Arabibus, multisq; alijs, siue colūbæ, siue tauri miraculo persuasisset, princeps iam Arabum factus vim recusantibus adhibuit, quosque arte capere non poterat, viribus in nouum dogma subiugauit. Hoc igitur pacto sensim propagata secta est, iactō quidem dolis fundamento, gladijs tamen postea sic prolato imperio, vt victorijs, fermē mundū occupauerit vniuersum. An verò vsque adeò absurdum videatur, si adhuc referatur Danielis vaticinium, de cornu illo quod habebat oculos & os loquens grandia, & maius erat cæteris? Quartam quippe bestiam terribilem atque mirabilem & fortem nimis, cui dentes erant ferrei, habebatque cornua decem, imperium constat fuisse Romanum, quod ferro & armis longè lateque cuncta perdomuit, quod deleta potissimum Carthagine, quæ diu æmula Romani imperij fuit,

manus

*Lib. 20. de  
ciuitate Dei  
cap. 19.*

*Daniel. 7.*

manus suas totum in orbem, terra marique porrexit, quod de ipsis denique regnis quæ subiugauit, velut quædam sibi cornua fecit: horum de medio exortum est Machometis cornu, paruulum quidem initio, sed quod ita sensim viribus creuerit abs Heraclij imperatoris temporibus, vt maius euaserit cæteris, quæ magna etiam ex parte excussit atque contriuit. Neque enim alius magis Romanum labefactauit atque euertit imperium (cuius vix tenues reliquias orbis iam retinet Christianus) præsertim cum Turcorum populi dissolutione viuendi licentia pellecti, sese nepharia eius sectæ socios addidissent, qui prius exosos semper Saracenos habuerant. Num autem oculos non videtur habere, cum Prophetam se esse ac videntem tanta dexteritate persuaferit? An grandia non loquatur, hoc est, ingenti impietate plenissima, qui & Trinitatis arcanum, & nostræ salutis destruat sacramentum? Quod autem sequitur: Et ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis, donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis suis excelsis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti: nemo profecto neget in hoc Machometico imperio aduersum pios indubiè fæuissimo commodissimè posse intelligi, quod quantum præualuerit aduersus Christianos, quos sanctos appellare scriptura consuevit, angustia nostræ declarant. Quis autem explicet quas Christianorum ecclesiarumque strages ediderint in Siria, Palestina, Aegypto, Aphrica, Hispanijs, quas aliquanti spatio temporis oppresserunt? Quis cædes animarum per hos factas, dum Christo renuntiare compellunt? quis varias neces cruciatuque corporum, dum immani fæuunt feritate prosequatur? Et o rem lachrymis omnibus deplorandam, ipsam aliquando Constantinopolim Græciæ caput, clarissimiq; illius imperij & patriarchalis simul dignitatis sedem, spurcissima Turcorum Machometistarum gens expugnauit atque fœdauit. In ea imperator capite multatus, iugulati nobiles inter epulas & vina Turcorum, principibus eruti oculi, quadraginta circiter milia cæsa; plures animæ in miserabilem abductæ seruitutem. Sacerdotes diuersis tormentorum generibus excarnificati, rapti ad libidinem & stuprum sexus vtriusque virgines, templum illud Sophiæ Iustiniani opus, toto orbe memorabile, Machometis spurcitijs referuatum: Basilicæ aliæ permultæ, opere mirando  
constru-

construētæ, aut dirutæ funditus, aut pollutæ fuerunt. Reliquiæ martyrum obiectæ porcis, Saluatoris simulachrum cum summa eius irrisione, qui pro salute omnium est crucifixus, & in castra delatum, præcedētib; qui dicerent, hic est Christianorum Deus, & spūto postea lutoque turpiter affectum est. Quid damna memorem literarum bonarumq; omnium artium, quæ veluti domicilium proprium ex tota Græcia Constantinopoli habuere. Denique maius tum ecclesiæ catholicæ vulnus illatum est, quàm vilius vt literis aut verbis exprimi queat. Eam Græciæ ruīnam cum Aeneas Siluius deploraret, atque ad Nicolaum Pontificem Maximum scriberet. Nos interim, inquit, domesticis quatinus odijs: reges Franciæ & Galliæ inter se litigant, Germani principes inuicem bella gerunt, rarè Hispania tota quiescit, Italia nostra pacis expers de alieno iure contendit: quantò melius tantum armorum tantumque militiæ in hostes fidei vertemus? Sanè fuit id Græcia subiugata perneccesarium. Potentissimus enim hostis & immanissimus, locum nactus eiusmodi, ex quo fidei Christianæ, quam persequitur pro sua libidine, posset officere, plura conatus est deinceps, quo gentem Christianam pertereret, nec mirum. Quippe victoria suapte natura insolens, etiamsi ad mites venerit, feroces eos impudentesque reddit. Quid igitur censeas hanc in illis truculentissimis feris efficere potuisse? Tanta igitur victoria seu instrumēto ad progressus maiores vsi, subactis Hūgaris iam imminent Germaniæ ceruicibus. Neque verò horum regni belli que aduersus sanctos suscepti finem status hic nobis rerum ostendit, donec quemadmodum à sancto Daniele prædictum est, veniat antiquus dierum, hoc est, Christus Dominus, qui hoc perditorum corpus, trucemque illam bestiam spiritu oris sui interficiat, penitusque destruat illustratione aduentus sui. Cur enim desipere censeatur qui sicuti Græciam illi patefecit schisma, hæresis, & omnis læna malorum, ita etiam putet eidem nostris dissidijs & salutaris doctrinæ contemptu, persequutioneque piorum ad Europicarum ecclesiarum subuersionem aditum referari?

*De Petrobrusianorum & Henricianorum siue Albigensium in Gallia persequutionibus.*

CAPVT XLIII.

Namque

Namque & hoc nostro in orbe, post longi temporis integram & inuiolatam populorum fidem, euēnit tandem quod suis timebat Apostolus, vt sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita multorum corrupti sint sensus, perieritque simplicitas illa fidei, quæ est in Christo Iesu. Vinculo pacis rupto, hic quoque schismata sequuta sunt: cœperuntque aliquando benè ædificata destrui, congregata salubriter perniciosè dissipari, & quæ prius erant fide corda repurgata, fœderis erroribus maculari. Venère (proh dolor) huc quoque vulpes, quæ Domini vineas demolirentur, & quid vulpes dico? Exterminauit etiam eas tandem aper de sylua, & singularis ferus depastus est eas. Vt enim illos taceam quorum etsi fuerit noxia doctrina, non tamē eo facto progressa est, vt vel armis catholicos oppugnarēt, vel iisdem repugnare bello possent: vt etiam Petri Leonis schisma nō referam, sub quo oppressa Burdegalēsi prouincia, alij damnis, alij proscriptionibus atque exilijs (quia subscribere nolent) multabantur. Hæcigitur vt modò pro instituti ratione præteream, quid non viribus & armis designauere hi, qui ex Albigeni comitatu propè Tholosam Albigesij sunt appellati? Namque Eugenio Pontifice quidam Henricus, qui monachus aliquantò prius extiterat, plausibilibus nocentissimæ doctrinæ verbis Tholosanæ gentis occupauerat leuitatem: & sicuti prædixerat Apostolus quosdam esse facturos, in hypocrisi loquens mendacium, fictis verbis de ijs negociabatur. Erat is ecclesiæ hostis manifestus, irreuenter ecclesiasticis derogans sacramentis, pariter & ministris: vsqueadè verò apud Tholosates inualuit, vt passim institutiones ecclesiasticæ ab ijs quos dementarat, spernerentur. Eorumque post violentias sacrilegas vsqueadè fœda facta fuere, vt etiam naturæ reiectamentis altaria conspurcarent, lineisque pannis ad sacros duntaxat vsus comparatis, prophanissimè fœdissimeque abuterentur. Crudelitas ex pietatis odio tanta, vt Pontificis legatum virum māsuetissimum è villa S. Aegidij prodeuntem lancea lateri eius infixâ necauerint. Cuius memorabilis raræque erga suos inimicos dilectionis illud extat argumentum, quòd cum lethale vulnus accepisset, ad suæ necis conuersus authorem identidem reperierit: Dominus ignoscat tibi, mi frater, ego quidem tibi lubens ignosco. Sic verò secta inoleuerat, numeroque

*Tempore  
Bernardi.*

*In vita S.  
Bernardi per  
Alanum Al-  
tisiodoren-  
sem episco-  
pum.*

*Antoninus  
parte 3. tit.  
19. cap. 1.*

sectato-

DE VARIIS PIORVM

sectatorum & opibus sic creuerat, vt non disceptationibus modò verborum, verumetiam armis principum opus fuerit. Itaque re cognita Innocētius tertius missò Gallone cardinali legato, Philippum regem Pontificis autoritate monet, vt aduersus hæreticos arma corripiat, delictorum condonatione concessâ his, qui insigne crucis ad id bellum assumerēt. Philippus autem oratione legati permotus, suos permisit arma capere, & in Albigēses proficisci. Ferunt in exercitu præter proceres episcopos fuisse nō paucos. Exercitum igitur instructum ad Bitēras primum admovent, eamq; ciuitatem expugnant, occisis in ea hæreticorū non paucis milibus. Quo periculo territi cæteri regionis incolæ, ad Carcassionem munitissimam urbem confugerant, in qua à catholicis principibus circumsepti, abire nudi compulsi sunt. Eliminata hoc modo fœdissimæ gentis turpitudine, Franci cupidi sua quique loca reuifere, reliquo exercitui quendam Simonem à Monteforti præficiunt, hominem nobilem & strenuum ac simul religiosum. Qui mox belli cura suscepta non segniter quæ supererant exequutus est, comitâte & spiritalibus armis collaborante Dominico viro Hispano, quo authore prædicatorum ordo sumpsit initium. Is igitur arces per eam terram expugnatas occupauit, genusque perniciosissimæ secte diuina magis, ob pietatē, quàm humana fultus ope repressit. Sed infesta esse nihilosecius impura non destitit hæreticorum colluies, cùm præsertim haberet ea propugnatores haud vulgares, regem Aragonum, & Comitem sancti Aegidij, Fuxique principem. In eoque quod aduersus illos susceptum erat bello, & Simon ipse & eius postea filius Guido, patris virtutem ac pietatem æmulatus, pro ecclesiæ defensione ceciderunt. Quin & Ludouicum regem, eorundem vehementer arma fatigarunt, non modò cùm Tholosam frustra numerosissimo cruce signatorum exercitu cinxit atq; oppugnauit, verumetiam cum Auinionensem (quæ propter eam hæresim per annorum septem spacium sedi Apostolicæ rebellarat) obsessam tribus mensibus tenuit ciuitatem. Extat autem ad illum sancti Aegidij Comitem epistola D. Bernardi, qua secte pernicies non obscure demonstratur: Quanta audiuius, inquit, & cognouimus mala, quæ in ecclesijs Dei fecit & facit quotidie Henricus hæreticus? Versatur in terra vestra sub vestimentis ouium

*Antoninus  
parte 3. tit.  
19. cap. 3.*

oulum lupus rapax, sed ad Domini designationem, à fructi-  
 bus eius cognoscemus illum. Basilicæ sine plebibus, plebs  
 sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia sunt,  
 & sine Christo deinde Christiani ecclesiæ synagogis repu-  
 tantur: sanctuarium Dei sanctum esse negatur; sacramenta  
 non sacra censentur, dies festiui frustrantur sollempnijs. Mo-  
 riuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad  
 tribunal terrificum: heu nec pœnitentia reconciliati, nec sa-  
 cra communione muniti; Paruulis Christianorum Christi  
 intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia, nec saluti  
 propinquare sinuntur, Saluatore licet piè clamante pro eis:  
 Sinite paruulos venire ad me. Et infra: Proch dolor, inquit,  
 auditur tamen à pluribus, & populum qui sibi credat, habet.  
 O infœlicissimum populum, ad vocem vnus hæretici silue-  
 runt in eo omnes Prophetica & Apostolica voces, quæ de  
 conuocanda in vna Christi fide è cunctis nationibus eccle-  
 sia, vno veritatis spiritu cecinerunt. Et postea: Huius, inquit,  
 rei gratia, licet in multa corporis infirmitate, iter arripui ad  
 has partes quas potissimum singularis ferus depascitur, dum  
 nō est qui resistat, nec, qui saluū faciat. Quippe de tota Frā-  
 cia ob simile effugatus maliciā, has solas sibi inuenit exposi-  
 tas, in quibus fiducialiter sub tuo dominatu in gregē Christi  
 toto furore bacchatū. Quod tuōne honori cōgruat, Prin-  
 ceptis illustris, ipse iudicato. Nec mirū tamen si serpens ille cal-  
 lidus decipit, quippe speciem pietatis habens, cuius virtutem  
 penitus abnegauit. Sed nunc audi quis ille sit, Homo apo-  
 stata est, qui relicto religionis habitu (nam monachus exti-  
 tit) ad spurcitiā carnis & seculi, tanquam canis ad suum  
 vomitum est reuersus. Præ confusione autem habitare inter  
 cognatos & notos non sustinens, vel potius non permissus  
 ob magnitudinem criminis, succinxit lumbos suos, & iter  
 quo nesciebat, arripuit; factus gyronagus & profugus su-  
 per terram. Cumque mendicare cœpisset, posuit in sumptu  
 euāgelium, nam literatus erat. Et venale distrahens verbum  
 Dei, euangelizabat vt manducaret. Si quid supra victum eli-  
 cere poterat à simplicioribus populi, vel ab aliqua matro-  
 narum, id ludendo aleis, aut certe in vsus turpiores turpiter  
 effundebat. Frequēter siquidem post diurnum populi plau-  
 sum, nocte insecuta cum meretricibus inuentus est prædica-  
 tor insidijs, & interdum etiam cum coniugatis. Inquire si

*Ouidius in  
 epistola Hip-  
 sipiles ad Ia-  
 sonem.*

N

placet,

DE VARIIS PIORVM

placet, vir nobilis, quomodo de Lufana ciuitate exierit, quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictaui, quomodo de Burdegali: nec patet ei vspiam reuersionis aditus, vtpote qui foeda post se vbique reliquit vestigia. Tu de tali arbore tandem bonos sperabas fructus? Hac Bernardus. Scripsit idem ad Tholosates postea, & illos collaudans ob constantiam aduersus praedictos haereticos, & sedulo commonefaciens, vt tanquam fures & latrones, famaue & fidei corruptores, arcerent. A scribuntur autem eis à nonnullis haereses variae, velut quòd nuptias & carnis esum damnarent, quòd Arrij pestiferum dogma sequerentur, quòd baptismuni necessarium esse negarent, quòd Pythagoreorum errore, animarum de corporibus in corpora migrationem & tràsitum assererent. Arbitror equidem eos esse, quorum errata refellit D. Bernardus serm. 66. in Cantica, quod non agrè deprehenderis, si cum epistola supra memorata sermonem ipsum conferas. Abstinent, inquit, hi à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, hinc quoque haereticos se probantes, non sanè quia abstinent, sed quia haereticè abstinent. Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum quòd castigat corpus suum & in seruitutem redigit? Abstineo à vino, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtor, iuxta Pauli consilium. Abstinebo à carnibus, ne dum nimium nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Ac post multa: lactat se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant; Nullum tamen apostolatus sui signum valentes ostendere. Ac post: Se dicunt ecclesiam, sed contradicunt ei qui dicit, Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Itane lapidem abscissum de monte sine manibus, montem factum & implentem mundum, vestris creditis inclusum antris? Ac nonnullis interpositis: Irridēt nos, inquit, quia baptizamus infantes, quia oramus pro mortuis, quia sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum, atque in vtroq; sexu festinant proscribere Christum in adultis & paruulis, in viuis & mortuis; hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturæ, inde verò adultis ex difficultate cōtinentiæ praescribentes. Porrò mortuos viuientium fraudantes auxilijs, viuentes nihilominus sanctorum qui decesserunt, suffragijs spolian-

spoliantes. Ac nemo, inquit, mihi dicat, quia non habet paruulus fidem cui mater impertit suam; atque adiungit, Ecclesiam præsumere non solum paruulis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo martyribus, coronam martyrij. Non credūt, ait, ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærat ergo ab eo qui dixit, quoddam peccatum esse quod neque in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiōve peccati? Et postea pergens eorum perniciosam & prophanam dogmata recensere. Iam verò, inquit, qui ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiūt, sunt apostolici, archiepiscopi, presbyteri, ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei sacran. entis: Nunquā verò ista duo conuenient, episcopum esse & peccatorem. Falsum est. Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiā prophetasse refert? Apostolus erat Iudas, & licet auarus & sceleratus, electus à Domino. Et infra: Multa quidem & alia, inquit, huic populo stulto & insipienti, à spiritibus erroris in hypocrisis loquentibus mendacium, mala persuasa sunt, sed non est respōdere ad omnia. Nam quantum ad istos pertinet, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt: nec autoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est, mori magis eligūt quam conuerti. Mirabantur aliqui, quòd non modò patienter, sed & læti, vt videbatur, ducerentur ad mortem, sed qui minus aduertunt quanta sit vis diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda quæ semel permissus possederit. Nōne plus est sibimet hominem iniicere manus, quàm id libenter ab alio sustinere. Nihil ergo simile habent constantia martyrum & pertinacia horum, quia mortis contēptum in illis pietas, in illis duritia cordis operatur. Hæc de ista Albigensium secta, breuiter ex diuo Bernardo excerptimus, quòd in illis nostri seculi, quo iam eiusmodi mala per orbem Christianarum longè lateque manarunt, quasi inchoatio

quædam aut delineatio præcessisse videatur. Porro sectæ eius author primus fuerat quidam Petrus de Bruis, à quo iactant erronei dogmatis prima semina, per annos ferme viginti in Septimania primum, deinde & in prouincia Nouempopulana (quæ vulgo Gasconia vocatur) magna incrementa sumpserunt: Nec ignota sanè tunc orbi Christiano sub nomine Petrobrusianorum hæreticorum. Qui fieret enim vt non esset eorum celebre nomē, quorum erant adeo noua & inaudita facinora: Per eos enim rebaptizati populi, ecclesiæ prophanatæ, altaria suffossa, cruces succensæ, die ipso Dominicæ passionis publicè manducatæ carnes, sacerdotes flagellati, monachi incarcerati, ijdemque ad ducendas vxores terroribus sunt ac tormentis compulsi. Et hæc quidem de Petrobrusianis literis suis mandauit ante annos quadringentos Petrus venerabilis abbas Cluniacensis, scribens ad Alpium Maritimarum episcopos, à quo etiam illorum duabus epistolis eruditè planeque neruose confutantur errores. Inter quos (præter errorem de baptismo paruulorum, & de non adiuuandis oratione vel sacrificio defunctis, quorum D. quoque Bernardus meminit) etiam hos recenset templorum vel ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subruui oportere, nec esse necessaria Christianis sacraloca ad orandum, quoniã æquè in taberna & in ecclesia, in foro & in templo, ante altare vel ante stabulum inuocatus Deus audit, & eos qui merentur exaudit: Item cruces sacras confringi oportere & succendi, quod species illa vel instrumentum (quo Christus tam dirè tortus est) non ueneratione digna sit, sed gladijs potius cõcidenda & omni dedecore dehonestanda ad ultionem mortis Christi: Item verū Christi corpus in sacramēto non esse, neque id Deo debere offerri. Hæc igitur Petrus de Bruis. Cuius post rogum (Nam apud S. Aegidium, inquit Petrus Venerabilis, zelus fidelium flammæ Dominicæ crucis ab eos succensas illum succendendo vltus est) hæres nequitia eius Henricus, cum nescio quibus alijs, doctrinam diabolicam non quidem emendauit, sed immutauit, & non quinque tantum vt ille, sed plura suæ doctrinæ capita edidit.

*De Husitarum in Bohemia persecutione.*

CAPVT XLIIII.

Hos

**H**OS in Bohemia secuti sunt Hussitæ, quorum insolentissima infania, sacra omnia pessundedit. Cum enim neq; Venceslao regi, religionis in suo regno puritas admodum curæ esse videretur, & is esset episcopus Pragæ, qui præter insignem auaritiam magis esset idoneus, qui hæresi fomenta præberet quàm qui extirparet, perspicuè apparuit impleri in Bohemia euangelicam parabolam: Dum dormirent homines, venit malus & superfeminauit zizania. Etenim pestifera illius seminationis hæc dogmata fuere, referente Aenea Siluio: Romanum præfulem reliquis episcopis parem esse, inter sacerdotes nullum discrimen, presbyterum non dignitatem, sed vitæ meritum efficere potiore: Animas corporibus excedentes, aut in æternas & vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia: Purgatorium enim ignem nullum inueniri: Vanum esse orare pro mortuis, & auaritiæ sacerdotalis inuentum: Dei & sanctorum imagines delendas: Aquarum, Palmarum benedictiones irridendas: Mendicantium religiones malos demones inuenisse: Sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos elemosyna: Liberã cuique prædicationẽ verbi Dei patere: Nullum capitale peccatum, quãtũuis maioris mali vitandi gratia tolerãdum: Qui mortalis culpæ reus sit, eum neque seculari, neque ecclesiastica dignitate potiri, neque parendum ei: Confirmationem quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam vnctionem inter ecclesiæ sacra minime contineri: Auricularem confessionem nugacem esse, sufficere sua cuique Deo incubili suo confiteri peccata: Baptisma fluuiialis vndæ, nulla interiecta sacri olei mixtura recipiendum: Cœmeteriorum inanem vsũ, quæstus causa repertum, quacunq; tegantur tellure humana corpora, nihil distare: Templum Dei latè patētis ipsum mundum esse, coarctare maiestatem eius, qui ecclesias, monasteria, oratoriaque construunt, tanquam propitior in eis diuina bonitas inueniatur: Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vasaque huiusmodi nihil habere momenti: Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tempore sacrum Christi corpus conficere, petentibusq; ministrare, sufficere si verba sacra mente tantũ dicat: Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra impetrari, quæ iuuare non possunt: In canonicis horis cantandis, di-

DE VARIIS PIORVM

dis, dicendisq; frustra tempus teri: Nulla die ab opere cessandum, nisi quæ Dominica nunc appellatur, celebritates sanctorum prorsus reiiciendas: Ieiunijs quoque ab ecclesia institutis, nihil inesse meriti. Ad hos perniciosissimæ novitatis articulos, Petrus quidam Dresensis, cooperatore Jacobello Misnensi, adiunxit articulum de communione sub vtraque specie, hanc contra ecclesiæ veterem iam tum consuetudinem, requirēs ab omnibus qui salui esse vellent. Hicce igitur erroribus vitiata passim Bohemia, postquam viribus secta crevit, in grauissimas catholicorum persecutiones ebullijt. Siquidem Ioannem Hus sequebantur clerici ferè omnes, ære alieno gravati, sceleribus ac seditiōibus insignes. Quia & nonnulli doctrina celebres, cum dignitates & sacerdotia que expetiuerant, adipisci minimè potuissent, frustratæ ambitionis dolore vexati, zeliq; mali aduersus ordinem sacerdotum facibus agitati, ad Hussitarum se quoq; factiosa studia contulerunt. Cùm igitur confluentium quotidie turbis auerentur, non satis fuit ecclesias extorsisse, in quibus liberè concionarētur, nisi & vicina monasteria, templaq; pulcherrima, igni ferroq; vastarent: posteaquam verò hi sic furētes in catholicos, Ioannem Zischam ducem accepere, quænam arces aduersus horum impetus satismunitæ fuerunt. Namque haud semel potentissimos etiam Romani imperatoris exercitus cedere turpiter, aut terrore victos, aut armis fatigatos coegerūt. Extructa autem ciuitate, cui Thabor indidere nomen, Thaboritæ coeperunt appellari, eoq; sese tanquam cōmuni azilo, tum natura loci, tum arte & industria munitissimo, & alijs terribiles & inuictos reddiderunt. Accessit ad hos & alia hæreticorum factio fratrum Orebitarum appellata, quæ Græcensē vicināsq; Gentes maximis cladibus affecit. Erat enim (vt traditum est) pestifera atque immanis, neque Thaboritarum crudelitate vlla ex parte inferior. Quoties sacerdotes nostros intercepte, hos aut igne cremauerunt, aut nudos rigente hyeme super glacie colligatos dimiserunt, quos parui momenti existimauerant, defectis virilibus abire permiserunt. Aduersus hos Martinus quintus Pontifex Max. nominatim crucem decreuit, neq; tamen per annos complures extirpari cruenta secta potuit. Sed Thaboritarum dux Zischa, post multos victorię triūphos, diuinitus peste percussus moritur, summo

sui apud hæreticos desiderio relicto. Hunc ferunt cum ægrotaret, interrogatum quonam loco mortuus sepeliri vellet, iussisse cadaueri detrahi pellem, carnes verò volucris ac feris obiectari, ex pelle postremò tympanum fieri, eoque duce bella geri: arrepturos enim affirmabat hostes fugam, simulatque tympani sonitum exaudissent. Itaque eo morte suolato, duæ continuò factiones exortæ sunt: Altera Procopum magnum, quem Rasum vocauerunt, sibi præfecit: Altera autem illum reperiri posse dictitans, qui iure Zische succederet, selectis paucis qui communi concilio bellum administrarent, sese orphanos appellauerunt. Etsi autem aliquando inter se dissentirent, neque vnus fidei omnes glutino iungerentur, sed inter eos quoque obtineret illud:

*Velle suum cuique est, nec voto viuatur vno.*

Vbi tamen vis aliqua a principibus catholicis ingruebat, iunctis viribus in vnis sese castris defenderunt, potentesque exercitus foras fuga consulere sibi coegerunt. Fatigauit ea secta pios reges aliquot, donec deprauata nimis Bohemia digna fuit, cui tandem hæreticus Georgius Poggeobrachius imperaret.

*De Anglicana in pios crudelitate sub Henrico octauo.*

C A P V T X L V.

**A**ngliam præteriturus eram, nisi causæ propter quam illic pij complures viri passi sunt, peculiari nouitas inuitallet, vt de illis quoque persecutionibus breuiter adiungerem. Igitur cum Angliæ rex Henricus octauus prioris legitimi matrimonij vinculis exolui, atque aliud inire cõiugium cum Anna quadam vellet, repudiata ac superstite vxore priore domina Margareta; neque tamen hoc eius inceptum aut sedis Apostolicæ iudicio, aut cordatorum sententijs probaretur: decreuit tandem non amplius in his que facere collibuisse, ab alieno cuiusquam boni præsertim pendere iudicio, sed partim cæstro libidinis percitus, partim superbia efferatus, qua ferebat impotentissimè sibi, cum rex esset tantus, non licere quod liberet, declarari voluit supremum caput ecclesiæ Anglicanæ in spiritualibus & in temporalibus. Quo non præcipitat superbia inflati vnus vermiculi propter fulgentem rubea terra coronam? Et tamen quantumlibet absurdissimum hoc esset in rege, qui nisi infa-

niret, Petri Apostolorum principis successorem se non au-  
 deret dicere, tota vexatur Anglia, vt publicis id vocibus ac  
 subscriptionibus approbetur. Nec verò desunt impio regi  
 ministri impij, qui promptissime quod voluisset, expleant.  
 Et quid ministros dico? cum nec episcopi, grauesque alij ex  
 ordine ecclesiastico viri defuerint, qui vel tam schismaticis  
 conatibus etiam repugnantibus conscientie testimonijs ap-  
 plauderent, vel eosdem roborarent, promouerentq; nequif-  
 simis suggestionibus. Hic profectò in Anglicana ecclesia ac-  
 cidit, quod Apocalypsis mystico sermone prænuntiat: Et  
 percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia  
 pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars earum, & diei  
 nō luceret pars tertia & noctis similiter. Vnde & illud vah,  
 vah, vah, consequutum est habitantibus in terra. Quam  
 multos enim pertraxit in regiam sententiam, hoc est in schis-  
 ma sacre illegum autoritas Parlamenti? quam iuultis impo-  
 suit episcoporum assensus? quam multis aliò qui probata  
 vitæ viris illudit quædam rationis species, vt hanc non puta-  
 rent esse causam propter quam esset Christiano moriedund?  
 Sed inuenit tamen tempestas hæc fortissimos quosdam vi-  
 ros, quos dum nititur subuere, multo reddidit clariore.  
 In his imprimis fuit D. Ioānes Rossensis episcopus, qui dum  
 schismatico Parlamenti seu concilij regij decreto sese con-  
 stanter opponit; per satellites publica potestate apprehensus,  
 in arcem Londinensem includitur: vnde aliquantò post edu-  
 ctus, atque in planiciem productus, eam quam Angli vulgò  
 Turris collem vocant, postquam paucis populum esset allo-  
 quutus, regi; & regno bene precatus, alacris & nihil mor-  
 tis metu perturbatus, gracili & exhausta ceruice securim ex-  
 cepit. In eo quoque virorum fortissimorum numero Tho-  
 mas Morus emicuit. Qui non modò prius, quòd secundis  
 regis nuptijs contradiceret, facultatibus est spoliatus omni-  
 bus, perpetuoque carceri mancipatus, sed & postea tandem  
 quòd schismatico Parlamenti decreto nollet acquiescere, in  
 magno campo qui est aute regiam, capite truncatus fuit. In  
 quo viro admirabilis fuit sedatissimi præsentissimi que sem-  
 per animi tranquillitas & responsorum constantia. Cum  
 enim iam in eum esset mortis pronuntiata sententia, tantum  
 abest vt animo frangeretur, vt tum maximè sibi putauerit  
 pro veritate esse dicendum. Quando, inquit, morti adiudi-  
 catus

Apocal. 8.

catus sum, dicam liberè de vestro decreto quod sentio. Septem  
 iam anni sunt ex quo in hac rem animum studiumq; meum  
 intenderim, neque tamen vsquam reperire potui scriptum,  
 hanc laico tributam esse diuinitus potestatem, qua supremum  
 esset status etiam ecclesiastici caput. Atque hic cum eius ser-  
 monem Cancellarius interrupisset istiusmodi verbis, Er-  
 gone More, sapientior haberi vis conscientiaque melioris  
 episcopis omnibus, tota nobilitate, toto denique regno? Ille  
 inuictanter: Atego, inquit, domine Cancellarie, pro vno  
 episcopo quem tuæ habes opinionis, facile centum protu-  
 lero qui meam approbent, & ex illorum quidem numero  
 qui inter diuos relati sunt. Pro vno quoque vestro concilio  
 omnia habeo concilia generalia, annis ab hinc mille celebra-  
 ta, idè pro hoc vno regno, cuius mihi auctoritatem obijcis,  
 habeo Franciam, cæteraque omnia Christiani orbis regna.  
 Hoc deinde adiungo, decretum vestrum perperam factum  
 esse, propterea quod ex professo iurastis nihil vos vnquam  
 cepturos contra catholicæ ecclesiæ vnitatem, quæ hac ve-  
 stra constitutione manifestè dirumpitur. Et hæc quidè Mo-  
 rus intrepidè constanterque dixit, chariorem habens tem-  
 poraria hæc fluxaque vita & gloria veritatem. Neque his  
 dissimilia fuere quæ doctor Reginaldus, ab eodem videlicet  
 spiritu suggesta respondit: qui vnà cum alijs aliquot pro-  
 pter huius catholicæ veritatis cõfessionem, atrocissimo ge-  
 nere mortis affectus est. Tracti namque sunt à turri Lon-  
 dinensi crate viminea, vsque ad destinatum neci locum, atq;  
 illic patibulo suspensi, mox antequam strangularentur de-  
 iecti sunt; deiectis verò abscissa verenda, cordaque euulsa è  
 visceribus, quæ spiculator pugione transfixit atque igni cre-  
 mauit. Quid frustra furis rabiosa crudelitas? nihil agis, nam  
 cor tu quidem exterioris hominis euellis è mortali corpo-  
 re, sed interioris cor hominis à Deo suo diuellere non po-  
 tes. Corpus quidem mortale subigis & lanias, sed animus  
 manet inuictus, cuius aliquando constantia damnaberis.  
 Quibus autem modis fuerit Carthusiensium sanctissima fa-  
 milia exagitata, quibus territa minis, quibus insidijs appe-  
 tita vt schismaticum decretum approbaret: & quomodo  
 tandem ex ijs octodecim, propterea quod ab vnitatem se ec-  
 clesiæ nollèt segregare, ab illis Anglicanis feris sint excarni-  
 ficati, prolixius hoc loco describendū non arbitror. Tantum

DE VARIIS PIORVM

illud ex historia proferam, quòd cùm respōdissent beati patres se consensuros in omnia quoad lex diuina permitteret, Regius vicarius subiunxit nullam se exceptionem admissurum, siue lex diuina permiserit, siue non: hoc eos quod petebatur plenè, integrè, ex animo, cum iuramento publico affirmare oportere. Cumque hic replicassent patres ecclesiam catholicam aliter semper tenuisse ac docuisse. Respōdit ille, Non curo ecclesiam, vultis consentire, an non? Quid enim aliud proficisci potuit à prophano pectore, & eo cui nihil erat potius, quàm vt impio & impuro regi faceret satis!

*De Gallicanis & inferiorum aliquot Belgij prouinciarum per Hugonottas furoribus. CAP. XLVI.*

**S**I ad nostra iam tempora nostrasq; prouincias propius accessero, quis tandem reperietur locus, qui hæreticorum violentia & cruentis armis vacauerit? Vt enim Germaniæ maxima ex parte Liuoniæ & Angliæ, Scotiæq; fileam ecclesias terrore dominantium oppressas, an non ingens nobis crudelitatis theatrum, vicina Gallia pluribus locis exhibuit? Iam non satis est, si monstra dicamus Galliam peperisse, quod euenisse exorto Vigilantio miratus est diuus Hieronymus, cùm viris semper fortissimis & eloquentissimis abundasset. Immanes iam protulit feritate beluas, perq; omnes suppliciorum modos monstra crudelia. Refugit calamus vel paucis perstringere, quæ nequeunt sine ingenti animi horrore cogitari. Nonne aut terræ viuos infodere catholicos, aut eorum paruulas adhuc proles discerperunt, aut euiscerant sacerdotes, aut abstractam capitis pellem, refixere clauis, aut resecta impudenti crudelitate genitalia, deuorari à miseris coegerunt? Nam reliqua erant vulgaria, strangulationes, confossiones, submersiones, carceres, contumeliæ & verbera. Sacras ædes aut subuertisse, aut fœdasse flammis, ludus erat: vestes sacras in cineres redegisse, calices furripuisse, confregisse venerandas Christi & sanctorum imagines, pietatis opus credebatur. Nimirum qua cæcitate Christum persequens Saulus, Deo nihilominus sese præstare censebat obsequium, eadem prorsus isti Christum persequentes, Christo seruire se interim arbitrantur. Ac ne capiti soli, sanctissimum eius corpus impiissimè calcando facere viderentur iniuriam membrorum eius, hoc est inuictissimorum martyrum,

tyrum, quorum pretiosa mors in conspectu Domini, sacras reliquias, incredibili furore violarunt. Sic planè aduersus sanctos in cælo regnantes, bella gesserunt, vt eos iterum ad martyrij coronam reposcere velle viderentur. Non effugerunt barbaras horum manus, quorum corporibus, capillis, thiaris, septies accensæ fornaces pepercerant. Quæ pardi, tigrides, leones, sæpenumero reformidarunt attingere, ea noui hæceuangelij soboles, vel flammis absumpsit, vel in flumen aut cloacam, aut sterquiliniū abiecit. Scilicet tam multi barbari, tam multi religionis & Galliarum inimici, tam multi latrones & tyranni, cum eas terras cædibus & rapina vastarent, idcirco beatorum martyrum aut confessorum ossa intacta reliquerant, vt chari isti Christo discipuli, solique pij & fideles, in ea insolentissimè baccharètur. A Gallia verò haud multò post ad nos quoque persecutionis tempestas delata est. Sparsis namque prius & conceptis Sathanicæ doctrinæ seminibus, sola deerat occasio hunc persecutionis mouendæ fructum proferendi: quæ simulatque oblata est, viderunt Zelandia, Hollandia, Flandria quoque martyres suos: pertulerunt sceleratorum turpissimorumq; hominum sacrilegas manus, non solum in prophanationibus, expilationibusq; templorum & monasteriorum, quibus exhausta perditè viuendo nequitia, vtcunque satiaretur: verumetiam in verberationibus, torsionibus, lacerationibus, trucidationibusque, maximè sacerdotum & monasticen profitentium. Quo in ordine nec mulierum pudori, nec grandæ iam ætati pepercit eorum tetra libido & intolerabilis. Palam quoque est vbi sanctimonialium greges nudatis veste corporibus abegerint, vt & cordis sacrilegam impuritatem oculus manifestaret impudicus, & rursus per oculos nequissimi cuiusque vel libido ebulliret ad stuprum, vel animus pro-uocaretur ad ludibrium. Sed quid exemplis pluribus, hæreticorum fortia scilicet facta, virtutisque in pios quosque zelum commemorem: Omnes vnus idemque Antichristi spiritus, hoc est diabolus exagitat, & ad piorum deletionem, subuersionemque veræ religionis, non insidiosis tantum artibus, verumetiam terroribus, & minis, ferro & ignibus armat.

*In ijs hominibus qui ecclesiam persequuntur, maximè diaboli conatus pertimescendos esse.* CAP. XLVII.

Esse

Ephef. 6.

ESSE enim hunc principem in omnibus ecclesie persequutoribus cogitandum, tanquam totius ducem exercitus, Paulus admonuit, cum scriberet, Non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates aeris huius, & spiritualia nequitie in caelestibus. Cum enim hostis ille noster nocendi semper audax, & multo longissimi temporis vsu peritus, apertis persecutionibus impugnare non sinitur, sub falsa nominis professione corrumpit, habens haereticos huic operi seruietes, quos a fide catholica deuos sibi que subiectos, pugnare in castris suis sub diuersis erroribus fecit. Et sicuti decipiendis primis hominibus ministerium sibi serpentis assumpsit, ita hoc unguis ad seducendos rectorum animos, veneno suae falsitatis armavit. Namque instar serpentum humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. In his ille omnibus operatur, qui cum sit verae illuminationis inimicus, in lucis se angelum transfiguratur. Huius arte Basilides, huius Marcion callebat ingenio, hoc duce Sabellius agebatur, hoc praecipitabatur rectore Fotinus, huius potestati famulabatur Arius, huius spiritui Eunomius seruebat: Tota denique bestiarum talium cohors, hoc praeside ab ecclesiae unitate discessit, hoc magistro a veritate descivit. Verum ut erat versipellis, longissimique temporis experientia, & humanum ingenium probe exploratum, & fallendi rationes omnes exacte perspectas habens, non eadem omnium seculorum homines arte aggressus est, sed alios alijs fraudum nexibus praepeditos a vera religione deduxit: & varios exitiosarum suggestionum susurros, varijs hominum studijs ac moribus attemperans, diuersas diuersis errorum maculis foedauit aetates. Cum autem licuit & aperta persecutione fauere, quis alius aut furorem accendit, aut zelum incitauit? Quod ipse in euangelio nobis Saluator insinuat, cum ait: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam; diabolum significans venturum in Iudaeorum persequentium furoribus. Ideoque & Smirnenfis ecclesiae angelo scribi iubet: Nihil horum timeas quae passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tetemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vite. Itaque Spiritus sanctus, cum in Psalmis aduersariorum ecclesiae nomina collegisset,

gisset, mox quàm contemnendi non essent, ostendit: Etenim Assur, inquit, venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Loth. Assur enim pro ipso diabolo diuinis in literis figuratè solet intelligi, qui operatur in filijs diffidentiae tanquam in vasis suis vt castra sanctorum oppugnent. Hi autem inimici, quorum varietatem propheta nominibus diuersis expressit, cum ait: Quoniam cogitauerunt vnanimiter aduersum te, disposuerunt testamentum, tabernacula Idumaeorum & Ismaeliticæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Hi ergo ecclesiae inimici, operante in ipsis principe suo diabolo, facti sunt in adiutorium filijs Loth, qui interpretatur declinans. Angeli autem apostatici, benè intelliguntur tanquam filij declinationis, à veritate quippe declinando, in satellitium diaboli discesserunt. Hi sunt ergo de quibus Apostolus ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinè, sed aduersus principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiae in caelestibus. Quapropter inuisibilis & spiritualis ecclesiae inimicus adiuuat homines infideles, in quibus operatur ad oppugnandum populum Dei. Per hos si quos deprehenderit leues (qui multi sunt) & nulla pietatis radice fundatos, celeriter de ecclesia rapit, infirmos nouis disputationibus exagitat, firmos fatigat, quosque constantes repererit, odijs quidem semper, cum autem & facultas affuerit, etiam supplicij inferendis persequitur. Hic, inquam, mundi princeps, non modò per haereticos insidiatur vt draco, ad animas mortiferis laqueis implicandas, verum etiam aperte leonis in morem sæuit, in carceres rapiens, crudelique piorum morte sese vehementer oblectans. Illarum enim rex est locustarum, de quibus in Apocalypsi scriptum est: Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam coronæ similes auro, & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes eorum sicut leonum erant. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut vox currum, equorum, multorum currentium in bellum, & habebant caudas similes scorpionum: & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque, & habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraicè Abaddon,

Gracè

DE VARIIS PIORVM

Græcè autem Apollion, Latinè habens nomē exterminans. Quis enim hisce verbis non protinus hæreticos significatos intelligat? quorum & humanae facies sunt propter primam simulationem humanitatis: & leonini tamen dentes, propter inclusam feritatē: & auro coronæ similes, propter fallacem imitationem ecclesiæ: & loricae ferreae, quod eorum obstinatissimæ mentes nullis sese sinant veritatis iaculis penetrari: & capilli mulierum, propter carnis curam proiectasque in voluptatem cogitationes? Eosdem & postea Ioānes per equos significat, quibus sunt leonina capita ad sæuiendum, vimque faciendam in persecutione. Quorum, ait, de ore procedit ignis, fumus, & sulphur, propter blasphemias ignitaque perniciosi sermonis iacula. Nam potestas equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum. Etenim caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent. Caudas porrò, hæreticorū præpositos intelligit. Propheta enim docens mendacium, hic est cauda. Capita verò caudarum, mundi sunt principes. In his igitur & caudis & capitibus, vis inest ad nocendum maxima, siue cum falsi prophete docendo seducunt, siue cum ab ijs corrupti & incitati principes, etiam terrendo ad mala facienda compellunt. Quam autem non edant hominum stragem, istiusmodi equi per seipso nocentissimi, qui fessores habeant pessimos? Qui enim insidebant, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas: maligni videlicet spiritus, igne cupiditatum nostrarum armati & sulphure. Per has enim & vincunt, & inuicti persistunt. Neque verò mireris equis illis caudas omni modo pungere, quos venenum hæreseos, Iudæis Gentilibusque deteriores reddit.

August. supra  
per Apocal.  
hæretic. 7.

*Ad crudelitatem in pios exercendam hæreticos diabolo opportunissimos esse, quos ipsa hæresis Iudæis, Gentilibusque deteriores reddit. CAP. XLVIII.*

**I**LLI enim quod nunquam susceperunt, persequuntur. Isti religionem semel susceptam abijciunt & proculcant. Illi quod non sunt, id se nolle esse, apertissime præ se ferunt. Isti cum nomen Christianum fidemque profiteantur, hanc tamen qua possunt arte, corrumpunt. Alieni fuerunt illi semper à Christi familia, hi posteaquam in ea bona Domini degustarunt, magnisque Dei muneribus affecti sunt, ingrati  
vltro

vltrò separantur, separati hostiliter persequuntur. Peior autem est, inquit Augustinus, desertor fidei, & ex deserto oppugnator eius effectus, quam ille qui non deseruit, quod nunquam tenuit. Illi si aperiunt oculos, fidemque suscipiunt, renouari possunt ad pœnitentiam: At impossibile est, ait Apostolus, eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœlestē, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & germinās herbam opportunam his à quibus collitur, accipit benedictionē à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reprobata est & maledictio proxima, cuius consummatio in combustionem: Quid aliud isti post effusum doctrinæ cœlestis imbrem, quam spinas proferunt, qui sic pungunt persequendo? Hi sunt sanctæ collectionis desertores, & eius postquā deserta est, oppressores. De quibus maximè ab Apostolo subiungitur: Voluntariè peccatis nobis post acceptā notitiā veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios. Denique melius erat ijs (quod Petrus ait) non nosse viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti, ab eo quod illis traditum est, sancto mandato. Hæretici enim (ait D. Hieronymus) quorum cor eleuatur in superbiam, & qui ecclesiastica humilitate contempta, sibi excelsa promittunt, ascendunt dogmatum suorum montes, & illic suum demonibus cubile profuturunt: & quia secundum Prophetam, conuersi sunt retrorsum, imitantes vxorem Loth, mutantur in statuam salis, habentes imaginem ecclesiasticæ condituræ, & saporem penitus non habentes, qui proijciuntur foras, & ad nihil vtilis sunt, nisi vt cunctorū pedibus conculcentur: quam obrem monet Dominus in euangelio, vt qui arat & stiuam tenet, tergum non respiciat. Meritò proinde Gentiles quidem, lignis syluaticis similes faciemus, quæ incurua & corticata sunt & nodosa, sed tamen dolata, per hominum industriam, & complanata, ad aliquam possunt vtilis magnificæque structuræ partem pertinere: hæreticos verò samentis comparabimus, quæ nulli sunt vsui, nisi vt tradita flâmis, consu-

*Lib. 21. de  
ciuita. Dei,  
cap. 26.*

*2. Pet. 2.*

*Lib. 16. su-  
per Isaiam.*

consu-

*Ezech. 15.  
Vide Aug.  
in Psal. 30.  
ad versicu-  
lum: Super  
omnes ini-  
micos factus  
sum oppro-  
brium.*

*Origenes su-  
per Iesum  
Naue, ho-  
mil. 21.*

consumantur. Quam enim comparationem Ezechiel propheta, cum de Iudæis diuinæ legis desertoribus disseret, usurpauit: cur non eandem multò magis in hæreticos & schismaticos, lucis euangelicæ multò clarioris, maiorumque gratiæ beneficiorum ingratiſſimos inimicos usurpemus? Eiusmodi autem ad illum de funesto Iudæorum exitu, sermo diuinus est habitus: Filij hominis quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat ex eo quodeunque? Ecce igni datum est in escam, vttramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam: Nunquid vtile erit ad opus? etiam cum esset integrum non erat aptum ad opus, quantò magis cum illud ignis deuorauerit, nihil ex eo fiet operis? Propterea hæc dicit Dominus: Quomodo lignum vitis inter ligna sylvarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Hierusalem. Quantùm verò spei sit, posse hæreticos ad aliquam ecclesiastici ædificij partem reuocari; Apostolus insinuat, cum ait: Hæreticum hominem post vnã atque alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Immo verò hi sunt maximè qui velut canes aut porci conculcant, & conuersi dirumpunt cælestis doctrinæ ministros. Audiunt enim verbum atque percipiunt, & cum audierint, neque vt infideles discedunt, neque permanent vt fideles, sed percepta mysteriorum notitia, fidei que nostræ secretioribus penetratis, conuersi postmodum impugnant nos, & suis contradictionibus corda nostra dirumpunt: conculcantes verbum Domini margaritas, & ornamenta fidei maculantes. Offendunt autem & ipsi in lapidem offensionis Christum, & grauius quidem multò quam Iudæi, qui Dominum crucifixerunt. Namque his lapidem illum videre multum fuit, cum adhuc exilis esset, sed tamen quia hunc vel paruum contempserunt, contemnendo offenderunt, offendendo quassati sunt, neque superest aliud, quam vt quassati conterantur. Hoc enim de lapide illo dictum est, qui offenderit in lapidem illum, conquassabit eum, super quem autem ceciderit lapis, conteret eum: Neminem autem conterit excelsus veniens, nisi quem conquassauerit humilis iacens. Contemptus igitur à Iudæis qui iudicandus venerat,

eos aliquando ipse cōteret, cūm veniet iudicaturus. Sed hæreticis grauior impendet contritio, quòd Iudæi quidem in paruum lapidem non videntes impegerunt, hæretici verò in mōtem offendunt. Etenim iuxta Danielis prophetiam, Lapis ille abscissus de mōte sine manibus, excreuit in montem magnum, vsque adeò vt repleret vniuersam terram. In hunc offendere hæretici quàm ascendere malunt, contemnentes adhortantium voces: Venite ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Syon exhibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Quantæ porrò cæcitatæ est in montem impingere? Quantæ malitiæ contra hunc oblatrare? Quantæ nequitie quassari offensione malle, quàm veniendo, id est, credendo & ascendendo proficere? Quæ potest illis cæcitatæ esse defensio, quia non vident? Mons est, & quidem adeò magnus, vt totam impleat terram. Quæ tergiuersatione possit oppugnati mōtis huius grauissimum scelus euitari? Excusabilius fuit in lapidem paruum, quàm in montem adeò magnum offendere. Mons hic ecclesia est, toto terrarum orbe diffusa, in quam lapis Christus initio paruulus, sensim excreuit. Christus enim vnus est, caput & corpus. Huius de celsitudine montis hæretici per superbiam præcipites corruerunt, acquiescentes videlicet illi suggestioni, Mitte te deorsum. De illo verò prolapsi, inuehuntur in eundem mirabili insania, & quasi expugnari possent, oppugnant: quasi moueri possent, impellunt: quasi superari vel æquari possent, superbiæ suæ & fumosarum conspirationum, alios quosdam montes extollunt. Denique gemit beatus Apostolus, seque indignum qui vocetur Apostolus, confitetur: Quoniam persequutus sum, ait, ecclesiam Dei; & paruum crimen putabitur hæreticorū, qui sub ecclesie Christianæ, Christianique dogmatis professione eandem sceleratius multò persequuntur? Porrò Iudæorum & hæreticorum obstinatio consimilis, qua gentilium cæcitatem longè exuperant, facit vt minimè mirandum esse videatur, quòd D. Hieronymus ait: Legimus, videmus, quotidie comprobamus, quando persequutio contra ecclesiam oritur, multò peiores persequutores Iudæos & hæreticos in Christianos fieri, quàm Ethnicos. Eo quippe refert quod apud Abdiam prophetam scriptum sic est: Propter interfectionem & ini-

*Isaie 2.*

*1. Corin. 13.*

*In Abdia c. 1*

O

quita-

DE VARIIS PIORVM

quitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te cōfusio, & peribis in aeternum. In die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem, tu quoq; eras vnus ex eis. Consequentibus verò verbis hereticorum significatam interpretatur malevolentiam in Christianos singularem, cum dicitur: Neque despicias & tu in malis eius, in die vastitatis illius, neque stabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint, & non concludes reliquos eius in die tribulationis. Quis hæreticorum, inquit, non despiciat ecclesiasticos? quis non exultet in malis eorum? Si quando propter peccata populi persecutioni traditi fuerint, & multi vel infirma fide, vel super petrosa seminati negatione corruerint: videas illos exultare, gaudere, nostram ruinam suam putare victoriam: vsque adeo vt iungantur gentibus, & persecutio sæuior vel ex Iudæis, vel ex his fiat, qui fratres nostros se esse simulant, & eorum censentur nomine. Cumque aliquis vel fuga vel pœnitentia elapsus fuerit, stant in diuerticulis, & proponunt sophismata, & testimonia quasi de scripturis proferunt, vt lapsis atque confectis, consueta offerant ceruicalia, & ponant ea sub omni cubito manus: atque ita fit, vt qui forsitan persecutionem aut virtute superauerint, aut timore effugerint, decepti prauis dogmatibus rursum carcere teneantur errorum, & multo peior fiat tribulatio quàm fuit ex gētibus. Facilius enim ab hostibus captum liberes, quàm hæreticorū præstigijs irretitum. Hæc D. Hieronymus: quibus adiungam diui Athanasij testimonium de Arrianis, quod expressum est istiusmodi verbis in epistola quæ scripta est ad solitariam vitam agentes: Ego à patribus audiui & verū arbitror, cum persecutio esset nata sub Maximiano Constantij auo, Ethnicos homines, fratres Christianos, cum quærentur latebris abdidisse, eosque sæpe multatos & carceri mancipatos fuisse, non ob aliud quàm quòd perfugientes ad se prodere nollent, eosque eadem fide qua seipso tuendos putarent, non veriti od id sese periculis obijcere. At nunc mirifici isti nouæ hæreseos inuentores, nulla æquè re vt insidijs clari, omnia in contrarium faciunt. Ipsi enim vltro carnifices effecti & occultatos rimantur, vt eos latebris eruant, & occultatoribus insidias nectunt, æquè sibi inimicum & occultatum, & occultatorem arbitantes:

ita

ita natura cruenti sunt, & homicidæ, & scelerum æmuli. Et hæstenus quidem demonstratum sit, hæreticos Iudæis atq; Gentilibus in pijs persecuendis, nequiores esse solere.

*Cur diabolus per suos satellites ecclesiæ potissimum pastores ac Dei sacerdotes persequatur. CAP. XLIX.*

**C**V M autem pios quidem omnes diabolus per suos satellites persequatur, tum præcipue semper in Christi sæculi sacerdotes: quos cæteris & ad intelligendam veritatem doctores, & ad repugnandum etiam vsque ad sanguinem peccato atque errori duces, & contra luporum truculentam rabiem Dominici gregis custodes esse videbat. Est enim hoc planè consequens ac necessarium, vt qui veritatem oderint, eos ferre minimè possint, à quibus illam propagari sentiant atq; illustrari. Ea res incredulis Iudæorum regibus sanctos prophetas intolerabiles reddidit, ex eoque in illos maximè varijs locis atque temporibus exorta persecutio est, quòd ingrati & exosam prophanis auribus ingererent veritatè. Idcirco enim Iezabel Domini prophetas occidit, proque illis aluit & coluit prophetas Baal quadringentos & quinquaginta viros. Nec tum Helias ipse satis in tuto fuit, nec muliebri furoris impiam persecutionem pro nihilo putauit. Cuius illa querimonia est: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Michæam quoque prophetam illud ipsum veritatis odium vehementer exercuit, quam cum regi prospera cupienti fore sciret ingrati, subornatus licet ac monitus vt pseudoprophetarum se præberet prænunciando similem, nunquam tamen aut regis iram istiusmodi ratione fugiendam, aut eiusdem inuendam gratiam existimauit, sed viuit Dominus, inquit, quia quodcunque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Quod cum constanter fortiterque præstitisset, contemptus damnatusque ob veritatem propheta est, iussuque regis coniectus in carcerè, vt illic pane tribulationis & aqua sustentaretur angustie, donec sanè infelix ille in prælio periturus, cum pace, vti falsò sibi persuaserat, reuerteretur. Sic & propter præconium veritatis Isaias sectus est, & Hieremias eiusque

DE VARIIS PIORVM

scriba & minister Baruch, ab Ioachim rege Iudæ persecutionem passus, & Ioannes Baptista ab Herode truncatus est. Sic omnino & fulgētis euangelij tempore, præ cæteris persecutionem perpeffi sunt Christi sacerdotes, quòd saluti feræ veritatis præconium facerent, quam mundus ferre non potest. Porrò cùm sint iidem & in bello duces & in periculo custodes, quid mirum videatur si ducibus sublati, facillior celeriorque speretur victoria, si fugatis custodibus aut necatis, deuorandi gregis facultas maior oblata putetur. Ob hoc igitur, ait D. Cyprianus, ecclesiæ præpositum sua diabolus infestatione persequitur, vt gubernatore sublato atrocius atque violentius circa ecclesiæ naufragia grassetur. Abiguntur, ait Basilius, pastores, vt greges dispergantur. Neque verò persequitur tantummodo ecclesiæ præfectos, vt eorum sæuendo sanguinem fundat, verum etiam vt disputationum laqueis implicando & decipiendo, aut certè ambitionis, inuidiæ, libidinis vitijs corrumpēdo præcipitet, qua ex re vberimos persepè fructus suæ cœpit industria. Quid enim procliuius quàm vt errātem magna quempiam autoritate pastorem, oues quoque errore fascinatę sequantur? Quomodo possit horum turba stare, quæ rectorem suum elisum esse conspexerit? Quónam autē pacto tutum esse Dominicum ouile poterit, quando is lupus est qui creditur custos? Velut exempli gratia, cùm infœlix Nestorius subitò ex oue conuersus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset. Nam hunc quidem illi ipsi qui rodebantur adhuc magna ex parte ouem credebant, ideoque morsibus eius magis patebant. Etenim quis eum facile errare arbitraretur, quem tanto imperij iudicio electum, tanto sacerdotum studio susceptum videret? qui cum magno sanctorum amore, summo populi fauore celebraretur quotidie, palàm diuina tractabat eloquia, & noxios quosque Iudæorum & Gentilium confutabat errores. Quo tandem isto modo non cuius fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recta sentire? Sic igitur persecutionis procella deiectis Dei sacerdotibus, magna sæpenumerò animarum damna, ingentiaque ecclesiæ naufragia contigerūt, vel errandi libidinē qua non pauci tenentur, vel erroris caligine crassaq; ignoratione veritatis. Cùm autem etiam illos in fide stabiles suiq; sacerdotij dignitatem & honorem, non solum integritate morum, sed etiam constanti

Lib. 1. epistolarū, epistola 3.

constanti veritatis professione tuētes, persecutionis turbo  
 sustulerit, quæ possit accidere populo clades funestior? non  
 ob id solum quòd ij desint qui tenebras errorum veritatis  
 luce discutiāt, verumetiam quòd nec sacrificium sit quo om-  
 nipotentis ira placetur, nec reconciliationis sacramentum  
 quo vel extrema vitæ parte pœnitētibus succurratur? Nam  
 illud nisi graue malum esse iudicaret, non ita Daniel pro- *Daniel. 3.*  
 pheta quereretur: Et non est in tempore hoc princeps, &  
 dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium,  
 neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum  
 coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam. Quòd  
 si triste lugendumq; visum est illius temporis sacrificijs spo-  
 liari, quantum videri debet quamque funestum malum præ-  
 stantissimo ecclesiæ sacrificio destitui? Et si Micheæ pro-  
 phetæ tristissimum fuit, quòd Israellem videret dispersum in *3. Reg. 11.*  
 montibus, quasi oues non habentes pastorem, propterea  
 quòd regem idoneum non haberēt, qui vel ad temporariam  
 pacem ac fœlicitatem quandam vtiliter satis regnum admi-  
 nistraret: quantò magis est ea deploranda calamitas, qua fit  
 vt ij desint qui ad beatum illud cælorum regnum sua dire-  
 ctione perducant? Senferunt hoc Christiani semper, nec vi-  
 deo qui hoc parumpendeat, cur is eo nomine censeatur. Cùm  
 impij Hunnerici iussu, Aphricę episcopi, sacerdotes, diaconi,  
 aliaque ecclesiæ membra ad exilium eremi per Mauros cru-  
 delissimos cogerentur, diuersis è regionibus acciuitatibus *In historia*  
 ad visendos Christi martyres, occurrerunt agmina populo- *Victoris Vi-*  
 rum cereos manibus gestantium: qui cùm ad sanctorum *censis.*  
 vestigia suos infantulos applicarent, hac vsi voce leguntur:  
 Quibus nos miseros relinquitis dum pergitis ad coronas?  
 qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis?  
 qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconcilia-  
 tionis indulgentia obstrictos, peccatorum vinculis soluturi?  
 qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes?  
 à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus?  
 Relinqui se oues à suis lugebant pastoribus, ijsque perditis,  
 diuina se munera salutisque præsidia perdere deplorabant.  
 Denique D. Augustinus fugientium ministrorum in perse-  
 quutionis periculo, quadam epistola crimen exaggerans, *Epist. 180.*  
 ostendit quam luctuosum sit in eiusmodi rerum turbis, ma-  
 gnoque metu, pastoribus ministerioque salutari priuari.

DE VARIIS PIORVM

*Ezecl. 22.*

Ob has igitur causas Dei, maximè sacerdotes & ministros sua diabolus infestatione persequitur, vt ijs vel errore cecatis, vel metu dispersis, vel exilio aut morte sublati, non sit qui salutis viam demonstrat, qui lupos ab ouilibus arceat, qui diuina sacramenta ministrat, qui sacrificando & orando murum sese opponat pro domo Dei, sed eo redeatur profusus quod in veteri populo Ezechiel propheta deplorat: Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinè, & ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra: propheta autem eius liniebant eos absque temperamento, videntes vana & diuinantes eis mendacium, dicentes, hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit eis loquutus; moxque subiungit: Et quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationem, in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus. Nihil igitur ad debilitandum & tanquam nervos incidendos presentius, nihil ad dissipandū deuorandumque oportunius, quam si duces ipsi atque custodes in hostis veniant potestatem. Idcirco Philippus Macedo (vt obiter illa quoque vetera memoremus) pacem sese cum Atheniensibus cupere simulans, hac lege & ratione facillimè coire illam posse censuit, si populi duces atque oratores dederentur. Quod eius callidum consilium cum Demosthenem mirumè latuisset, produxit in concione veterem de lupis agniisque fabulam: inter quos (lupis id quidem subdole assentibus) pax constare firma potuisset, si pastores traderentur & canes, aut certe iidem abigerentur, ne belli authores atque incentores esse pergerent. Denique Iulianus apostata cum ritum paganorum modis omnibus constituere conaretur, atque id effici vi adhibita, non posse videret, ecclesiarum præsules & clericos, (quemadmodum Tripartita narrat historia) submouere festinavit: & ciuitatibus, id agens, vt eorum absentia paulatim ecclesia solueretur, neque sacrorum ministri, nec qui docerent, vel qui ministrorum essent participes, vlli existerent, eoque modo temporum lapsu propriæ religionis obliuionem Christiani paterentur.

*Li. 6. Trij.  
ca. 27.*

*Ex ijs rebus quas tollere heretici & schismatici moluntur, palam esse quod veram pietatem per eos persequatur diabolus. CAPVT L.*

**V**T autem non esset obscurum quid potissimum per suos satellites persequeretur diabolus, non sacerdotium modò & ecclesiasticum magistratum delere conatus est, verumetiam templa subuertere, altaria radere, sacras imagines confringere, codices sacros ignibus tradere, summo illi semper in studio fuit. Quæ quid aliud loquuntur nostris in hostibus, quam apertum pietatis odium cultusq; diuini? Nam quod ad ipsa imprimis templa pertinet, constat ea domos esse orationum, quæ videlicet eum ad vsum proprie constructæ sint, vt illic Deus Opt. Max. coleretur. Etenim etsi alijs quoque locis precetur Christianus vtiliter, & vbiq; leuandæ sint puræ ad Deum manus, tamẽ & ipsa loci commonitio efficit, vt sacris in templis magis id libeat, atque in studium orandi incumbatur alacrius, & propter confluentem multitudinem, accedit vnus ardor proximos: & ipsa postremò ecclesiæ fides atque oratio ad id plurimum confert, vt qui ea loca quippiam petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Liceat igitur hos templorum euersores ijsdem prope verbis cõuenire, quibus olim Opratus Parmenianum compellauit: Dicite, fratres, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes? vt ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? An quia illic laudatus est Christus? an quia illic inuocatus est Spiritus sanctus? An quia vobis absentibus illic propheta & sancta euãgelia recitata sunt? An quia illic fratrum iamdudum litigantium concordauerant mentes? Ex quo perspicitur eos qui templa studet euertere, non modò in Deum qui in illis colitur, iniurios esse, verumetiam pios omnes, quantum in ipsis est situm, grauissimo animarum damno afficere crudeliterq; persequi. Quid autem tam est sacrilegum quam altaria Dei (in quibus & ipsi aliquando obtulerunt) frangere, radere, remouere? In quibus, ait Opratus, vota populi & mēbra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus: vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera nõ iussit Saluator poni, nisi quæ essent de pace cõdita. Quod deinde nullas conspiciant aut Christi

*Lib. 6. cõtra  
Parmenianũ*

DE VARIIS PIORVM

aut cultorum eius imagines patiuntur, quoniam alio pertinet quam ut neque Christi, neque fidelissimorum eius seruorum aliquando meminerimus, neque illos quo decet honore prosequamur? Quæ res nullum quidem aut Christo redemptori aut beatis spiritibus detrimentum affert, sed Christianum populum magnis priuat spiritualium fructuum emolumentis. Quod enim Christi mediatoris nostri sæpissimè recordemur, quod eius inuictissimos seruos meritis celebremus laudibus, non id illis vtile est, qui bonorum nostrorum non egent, sed nobis qui beata hac societate & cõmunicatõ gaudemus, mirè est frugiferum. Quid igitur aliud est sacrilega & insana confractio venerandarum imaginum, quam grauissima populi fidelis persecutio? qua hoc molitur profecto diabolus, ut ab illa cælesti Hierusalè, obliuione primò omnes, deinde & contèptu separemur. Si enim nõ hoc principio actum esset, cur cæteris reiectis suorum ipsi tulissent atque effinxissent imagines? Scribit enim Bohemos Aeneas Syluius Christi quidem & sanctorum imagines aspicere diutius nequaquam potuisse: at sanguinarium illum crudelissimumque ducem suum Giskam, imagine cõstituta, & mortuum magnis honoribus affecisse. Non cõmemoro cætera, quoniam hic pro instituto breues esse debemus. Quid iam loquar de sacris codicibus, quos ut veteres olim hæretici, ita modò isti ignibus haud rarò concremarunt. Hoc quem sapiat spiritum, qui non intelligit, parum is sapere & iudicare videtur. Etenim hoc eodem spiritu Gentiles antea cum abolere vnus Dei Christi que memoriam, & Christianis agrè facere niterentur, sacros libros studiosè exquirebant, conquisitosque cremabant. Vnde & apud Prudentium sic martyrem Vincentium iudex alloquitur:

*Saltem latentes paginas  
Librosque opertos detege,  
Quo secta prauum seminans  
Iussis remetur ignibus.*

Quod sanctissimo viro quàm graue visum sit, consequentibus verbis expressum est:

*His martyr audiis, ait  
Quem tu maligne mysticis  
Minitaris ignem litteris  
Elagrabis ipse hoc iussit*

*Romphaea nam caelestium  
Vindex erit voluminum  
Tanti veneni interpretem  
Linguam perurens fulmine.*

Dubium non est igitur, quin ea qui faciunt pietatis se hostes esse, piorumq; omnium factis profiteantur. Quos proinde cur iugere vereamur illis, de quorum impia crudelitate prophetæ verbis ea conscripta deploratio est? Deus venerunt *Psal. 78.* Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, posuerunt morticina feruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Ac rursus in alio *Psal. 79.* Psalmo: Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Posuisti nos in cõtradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos. Et infra de ecclesiæ vinea loquitur & queritur: Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Sed non dubitans Propheta piissimus, grauissimis hisce malis remedium afferri diuina virtute posse: Deus, inquit, virtutum conuertere, respice de cælo & vide, & visita vineam istam. Incensa igni & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt. Alio quoq; in Psalmo persecutorum hostiumq; nostrorum superbiam, atrocitatem sacrilegam, & delendæ religionis studium, pulchrè diuinus Psalter expressit: Leua, inquit, manus tuas in superbias eorum, quanta malignatus *Psal. 73.* est inimicus in sancto? Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solennitatis tuæ, posuerunt signa sua, & non cognouerunt sicut in exitu super summum. Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt eam. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul; Quiescere faciamus omnes dies festos diei à terra. Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Usquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem?

*Ex ipso persequendi modo & imitatione superioris ætatis  
persecutorum, elucere facile quo spiritu nostri  
persecutores agitentur.*

CAPVT LI.

O S

Quan-

DE VARIIS PIORVM

**Q** Vanquam autem sceleratum satis erat res sacras & diuinas, imò verò & Deum ipsum superosque omnes persequi, si tamen persequutionis modum ac speciem, id est, si furorem, si rabiem, si omnis iustitię ordinis prætermissionem attenderis, tum multò magis perferri hæc diuina patientia potuisse mirabere. Nam etsi impij cultus accusari populus Christianus meritò potuisset, num idcirco priuata cuiusquam autoritate & libidine diripi tēpla? num sacrę vestes ac preciosa vasa, & aureæ, argenteæque imagines in priuatos ac proprios vsus conuerti, nullo ordine, nulla publica autoritate debuerunt? Quam res hæc speciem nisi sacrilegę violentiæ & rapinæ præ se ferat? Atqui vel ipsam mali speciem, ab euangelicis scilicet hominibus & reformatis Christianis, vitari sedulò oportuit, si tamē Apostolo obtemperandum tunc erat dicenti: Ab omni specie mala abstinete vos. Cui profectò iam inde à principio obtemperarunt veri Christiani, studiosęq; cauerunt, ne quid è templis idolorum aut clam surriperetur per suos, quod id furto grauius esse non nescirēt, aut ne vi adhibita quicquam in iisdem confringeretur, ne iure, vt sacrilegi puniri viderentur. Itaq; Tertullianus Scapulę præfecto, Christianos vti sacrilegos criminanti, respondit non eos modò nullo in sacrilegio, sed neq; in furto ab illo fuisse vnquam deprehensos. Eos quoq; Christianos Elibertinum cōcilium vetat inter Christi martyres recēseri, qui in delubris Gentilium vim facere, & idola confringere deprehensi, ob eam illic causam trucidati fuissent. Nec verò hic mihi exciderunt rara quorundam facta, sanctorum velut Theodori martyris, qui Maximiano Imperatore cum miles esset, idolorum phanum incendit. Eiusmodi facta populus Christianus, mirari maluit in paucis, quàm in multis approbare atque imitari. Expectanda enim erat Gentilium principum conuersio, vt per eos ipsos euangelica iam veritate illustratos, id est, accepta legitima potestate, templa euerterentur, & fictitij contererentur dij. Nam quem alioqui fructum suę insolentię cōsequutus fuisset populus Christianus, nisi vt minus euangelio crederetur, quòd illorum oportebat modestia & patientia commendari, ac longè lateque propagari? Hinc non modò non inferebant priores vim aliquam, sed neque reluctabantur, nec se aduersus iniustam violentiam, inquit Cyprianus, quamuis nimius

*August. epi-  
stola 50.*

& co.

& copiosus Christianus populus vlciscabatur. Quod ipsum & Tertullianus significauit, Si enim hostes extraneos, in nobis vis numerorum & copiarum? Testis etiam est Eusebius lib. II. hist. cap. 22. in seditione paganorum aduersus fideles, propter simulachra, quanta modestia & patientia se gesserit populus Christianus, multo tamen numero & potentia superior, idq; imperante pijssimo Theodosio. Sicuti enim diuinam expectabant vltionem, vt ferrent patienter illatas iniurias, sic diuinam præstolabantur virtutem, vt ad prædicationem euangelij conuersis Gentibus, nulla ab ipsis vi adhibita, tanquam suo languore, cultus impius concideret. Quos si imitari isti, simulata aliquantò diutius modestia & patientia potuissent, vberiore sanè prouectu nouitium euāgelium suum disseminauissent. Verum inter diuinum & sathanicum spiritum hoc interest, quòd ille dum tranquillos & placidos animorum motus efficit, prudentiæ non excutit rationes, sicque ad agendum accendit vt etiam illuminet. Hic verò dum eos quos possederit, turbido furore exagitat, nihil habere pensi, nihil modestiæ sinit. Itaque & sæuitum ab illis in Dei ministros est, pro cuiusque priuata libidine, cum neque sicarios, neque tyrannos tollere è medio liceat, auctoritate priuata. An sibi fortasse Heliam imitati videbuntur, qui ad torrentem Cyson Baalaticos sacerdotes interfecit? sed quæ in istis excellens vitæ virtus? quæ prophetica reuelatio? quod miraculum conspectum est, vt diuino spiritu & auctoritate facere illa viderentur? Quenam obsecro scintilla diuini spiritus collucere potuit in ijs quæ commissa sunt per scelera furiosorū, per luxurias vinolentorum, per tyrannidem raptorum, per crudelitatem homicidarum? Imò verò quæ non potius crudelitatis oblectatio euidentissime apparuit, tardis, inusitatis, ac ludibriosis suppliciorū generibus exquirendis, vt se antiqui illius draconis & leonis spiritu plenos esse, manifestissime & factis ostenderent, & voce loquerentur? Deinde illi prophætæ Balaam publico populi assensu atque iudicio, nihil ipso rege repugnante apprehensi sunt, ac tum demum à Propheta interempti. Num simile quicquam habet sacrilega & cruenta istorum violentia ad quam mundus cohorrui, sub professione Christianæ mansuetudinis, istiusmodi delitescere feras, admiratus? Et illa

Ca. 37. Apo-  
logetici.

Lib. 2. Trip.  
hist. cap. 20.

Ibidem.

DE VARIIS PIORVM

illa denique in idolorum cultores commissa sunt, quorum tolerari impium cultum in illa repub. minimè oportebat. Hæc verò noui euāgelij rabida crudelitas efferata est in Dei sacerdotes, quorum ministerio non idolis aut dæmonibus, sed vni omnium domino sacrificium offerebatur, quod eiusmodi non erat, vt id iam tolli conueniret, sed ita profus institutum diuinitus, vt eo Domini mors annuncianda esset, donec ad iudicandum ipse veniret. Siquidem & hoc Dominus per Hieremiam prophetam prædixerat, non defuturos in populo Christiano, qui offerrent sacrificia sacerdotes: Si potest, inquit, pactum meum irritū fieri cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum David seruo meo, vt non sit filius qui regnet in throno eius, & leuitæ & sacerdotes ministri mei. An verò ignorant cum in hos sæuierit, in eosdem sese sæuisse in quos bacchata Gentilitas est? in quos inuecta est cæca æmulatio Iudæorum? quos Arriani, quos Donatistæ, quos cæteri hæretici & schismatici, præ cæteris semper sunt acerrimis odijs persecuti? Agnoscuntne igitur vel ex ipso furore suo, quinam sint sacerdotes Dei? quæ sit ecclesia & domus Christi? qui sint Dei serui, quos diabolus infestet, qui sint Christiani quos Antichristus semper impugnet? furore dementes suo, feruntur in sacerdotes & ministros Christi: hoc ante ipsos fecit Gentilitas, quæ Leone teste, in electissima quæque Christi membra, & eos maximè qui sacerdotalis erant ordinis, sequebat. Id ipsum & sæuissimus fecit Genfericus, cuius rabidus furor præclaros pontifices multos, ac nobiles sacerdotes, suppliciorum generibus diuersis extinxit. Ac ne illos dicant non fuisse tum, vt modò sunt, sacrificos (quid enim non audent multi cum os perficuerunt?) audiunt beatum leuitam Laurentium Sixto dicentem: Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras. Intelligunt, si veteres dignantur libros euoluere, beato Laurentio tanquam diacono, commissam Dominici sanguinis dispensationem: euersa legunt altaria, quæ sine visibili sacrificio, nulla esse debuerunt, & euersis vel ereptis ecclesijs, sacerdotes secretioribus vt poterant locis, adeoque ipsis in carceribus diuina reperiunt mysteria celebrasse. Religiosorum seu monachorum detestantur institutum, & cum plus nõ possunt, ore vipereo rodere mordereq;

*Hiere. 33. d*

*Serm. de S.  
Laurentio.*

*Victor in  
hist. et Aug.  
libro contra  
Donatistas,  
post collatio-  
nem cap. 4.*

non

non desistunt. Hoc & Donatista Petilianus (vt omittam cæteros) fecit: quem testatur August. ore maledico in monasteriorum & monachorum vituperationem, differēdo perrexisse, arguisseque falsò Augustinum, quod hoc vitæ genus ab eo esset institutum. Affligunt eosdem & torquent, & occidunt cum possunt. Hoc ante ipsos fecit & Valens Arrianus imperator, qui feris quondam barbaris monachos innumeros trucidandos obiecit. Fecit hoc ipsum & ante Valentem Constantius, à quo in Alexandrinam urbem Georgius quidam missus, adiunctis Gentilium Iudæorumque turmis, præter infanda alia, monachos etiam pedibus conculcatos oppressit. Euertūt templa funditus & domos orationis nullas stare patiuntur. Testis est Eusebius hoc idem fieri iussisse Diocletianum, vt solo templa & oratoria Christianorum æquarentur, cunctaque illic reperta flammis traderentur absumenda voracibus. In sacratissimum Domini corpus aut impias manus immittunt, aut pedibus conculcant: an non hoc ipsum Arrianos fecisse deplorat Hilarius? & Donatistas Optatus Mileuitanus? Illos enim hic alloquens: Quid est, inquit, altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Ac paucis interpositis, Hòc modo estis Iudæos imitati, Illi manus iniecerunt Christo in cruce, à vobis percussus est in altari. Victor quoq; Vticensis libro primo persecutionis Vandalicæ: Arriani, inquit, tempore quo sacramenta Dei populo porrigebātur, introeuntes maximo cum furore, corpus Christi & sanguinem pauimento sparserunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt. Hæc igitur ætatis nostræ hostes, neque primi neque soli fecerunt, diligenterque cauerunt ne prioribus cessisse hac in parte viderentur. Quæ si nunquam nisi ab impijs & sacrilegis atq; ipsorum etiam qui modò similia faciunt, sententia & voce damnatis, perpetrata sunt, & si facta eadem pij omnes, quamcunque in ætatem inciderint, vehementer sunt detestati, quid dubitamus hæc in Deum piosque omnes esse hostilia pronuntiare, ob eaque nostrorum temporum infœlicitatem omnibus lachrymis deplorare?

*Tam graues fidelium persecutiones ob merita peccatorum nostrorum euenire solere.*

## CAPVT LII.

Quam

*Contra literas Petilianæ*

*Lib. 5. Tyrip. cap. 28.*

*Lib. 3. ecclesiast. hist. c. 3*

*Lib. 6. contra Parmenianū*

**Q**uam profectò benignissimus Deus & suæ religio-  
 nis amantiſſimus, euenire passus non eſſet, neque  
 tantum vt equidem arbitror, hosti vel maxime sa-  
 uienti, permisisset, nisi eum nostra maiorumque multa &  
 graua peccata prouocassent. Magnitudinem enim iræ de-  
 monstrat suæ, quando nec charis sibi parci cultoribus, pro-  
 pter populi scelera, nec suis templis & oratorijs, in quibus à  
 plerisque aut negligitur, aut contemnitur, aut ore & labijs,  
 non intimo mentis affectu honoratur. Propterea Iudaicis  
 olim temporibus, & prius arca Domini ab hostibus capta  
 est, & postea templum illud augustissimum, pollutū & in-  
 censum, & captiui prophetæ abducti, omninoque ab impijs  
 conculcata religio est. Neque enim habitare Dominus sulli-  
 net diutius inter suos contemptores, frustra que templa sibi  
 constructa è saxis lignisq; deputat, quando humanis in cor-  
 dibus, templum habere non sinitur. Vt quid enim veri tem-  
 pli simulachrum extet diutius, quando veritas ipsa sublata  
 est? Vt quid sanctorum imagines adhuc perferantur, quādo  
 nec sancta cum ijs societas expetitur, & eorum virtutis ex-  
 empla ridentur? vt non gentem propter locum, sed locum  
 propter gentem eligit Deus, ita prorsus & propter gentem,  
 aut locum deserit omninò, aut ad tēpus certè, sacrilegorum  
 subijci patitur iniurijs. Pertinent ea quoque ad illa flagella,  
 de quibus scriptum est: Si dereliquerint filij tui legē meam,  
 & in iudicijs meis non ambulauerint: visitabo in virga ini-  
 quitates eorum, & in verberibus peccata eorum, misericor-  
 diam autem meā non dispergam ab ijs. Te (inquit per alium  
 Prophetam) non faciam in consummationem, sed castigabo  
 te in iudicio, vt non videaris tibi innocuus. Hanc istiusmodi  
 persequutionum causa, vt suo tēpore præclarè agnouit Eu-  
 sebius, ita etiam historiæ duxit inferendam. Vbi, inquit, ex  
 multa libertate multa que indulgentia vitati sunt mores, &  
 disciplina corrupta est, dum alter alteri inuidemus, & alter  
 alteri derogamus, dum que nos inuicem mordemus & incu-  
 samus, & aduersum nosmetipsos intestina bella commoue-  
 mus, dum verborum iaculis, proximorum corda terimus:  
 dum principes cum principibus, populi cum populis, seditio-  
 nes & certamina concitamus, dum simulatio in vultu, dolus  
 in corde, fallaciā profertur in verbis, & malorum per singula  
 cumulus intumescit, diuina prouidentia iacturam disciplinæ  
 populo

*Pſalm. 88.*

*Hierem. 30.*

*Lib. 8. eccle.  
 hist. cap. 1.*

populo suo illatam, ex plurima pace & nimia sui lenitate perspicuus, aggreditur primò sensim refrenare lapsantes, & integro adhuc ecclesiæ statu congregationibusque manentibus indulget: interim eos qui erant in malitia tantum, Gentilium persecutione pulsari permittens. Sed cum nullus clementiæ eius intellectus populis redderetur, quin potius velut ignorantes Deum absque diuina prouidentia res agi ducerent, ac per hoc eo magis persisterent in malis suis: atque ipsi qui duces populi videbantur & principes, diuini mandati immemores effecti, aduersum seinuicem contentionibus, zelo, liuore, superbia, inimicitijs atq; odijs inflammarentur, ita vt tyrannidem potius quam sacerdotium tenere se crederent: ac Christianæ humilitatis & synceritatis obliui, sacra mysteria prophanis mentibus celebrarent, tum demum secundum vocem Hieremiæ propheta: Obscurauit Dominus in ira filia Sion, & deiecit de cælo gloriam Israel, nec rememoratus est scabellum pedum suorum in die iræ suæ. Et quibusdam interpositis: Summa, inquit, malorum nobis affuit omnium, cum domus orationis & ecclesiæ Dei viui ad solum deductæ atque ab ipsis subuersæ sunt fundamentis, diuinæ verò scripturæ in medio platearum igni cõcremata sunt. Proh nephas, ipsi hæc nostris vidimus oculis, sacerdotes Domini & pastores ecclesiarum publicè denudatos, inuerecundè atque inhonestè, huc atque illuc ab impijs trahi, ita vt completeretur ille sermo Propheticus, qui ait: Effusa est contumelia super principes, & seduxit eos in inuio & non in via. Hæc Eusebius. Quibus profectò admonemur, vt de nostrarum persecutionum causis similia cogitemus.

*De persecutione linguæ. CAPVT LIII.*

**V**T autem sæuiunt heretici plerunque, cum nulla maiore potentia comprimuntur, ita cum verberibus non possunt, verbis lædunt. Filij enim hominum, ait re- *Psalm. 139.*  
gius Psaltes, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Et iterum: Cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum. Estque & hoc sepe numero viris bonis graue persecutionis genus, vt cum innocentiam destruere atque expugnare non valeat  
inimi-

inimicus, satis habeat excogitatione mendacij & falsorum, famæ maculas inspergere. Sic de Cornelio Pontifice à No- uatianis quædam inhonesta & maligna iactabantur, quod mirandum nō esse Cyprianus monet, cum hoc semper opus diaboli sit, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientia suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Diuus quoque Ambrosius, cum imperator Arrianus basilicam postulat, atque ille se constantissimè conatibus eius opponeret, asserens ad imperatorem palatia pertinere, ad sacerdotem ecclesias: tãquam rebellis & tyrannus, ab impijs & scelestis ministris passim traducebatur. Speciem enim sibi rebellionis tenere videbantur, quod imperatorem assererent, iure suo vti, cuius in potestate essent omnia, vsquead eodẽ vt Galligenus quidam cubiculi præpositus, mandare illi ausus sit, Me viuo, tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. Sed vir fortis minimeq; minis aut persuasione purpuratorum perturbatus, respondit: Deus permittat tibi vt impleas quod minaris. Ego enim patior, quod episcopi, tu facies quod spadones. Nec D. Augustinus, cum de Christi ecclesia egregiè meritus esset, cuius hostes Pelagianos, solidissimæ doctrinæ instructus armis debellauerat, illæsam de suis laboribus existimationem reportauit. Cui haud obscuri quidam in ecclesia homines, (sed quorum animis vestigia damnati in Pelagio erroris inheferant) confectis blasphemiarum prodigiosis mendacijs, vsquead eodẽ officere studuerunt, vt suam se famam euertere, nocendi cupiditate non viderent. Nam quia Dei Christiq; mediatoris gratiam hanc esse statuebat, qua Deus in nobis, vt velimus, vtque perficiamus, potentissime secretissimeque operatur, tanquam hac prædicatione sublato libero arbitrio, impudentissimis imperitissimisque vocibus, Manichæus esse dicebatur. Quid D. Hieronymus? Nonne abs sectatoribus Origenis, tanquam ipse quoque Origenis damnata placita sequeretur, fuit infamatus? & à Pelagij fautoribus, tanquam aduersus eum scripsisset, inuidiæ facibus inflammatus? Quid acerrimus catholicæ fidei propugnator Athanasius? Illène potuit hæreticarum tela linguarum effugere? Nonne is & violati per stuprum hospitij accusatus: & hic confusus accusatoribus, postea tanquam magicis artibus deditus, varijs est Arrianorum insidijs ad- petitus?

*Vide epistola Pãmachi et Oceani ad D. Hiero. & D. Hierony. ad illos de erroribus Origenis: & in præmio in libro contra Pelag. Lib. 10. eccl. hist. cap. 13. 16. & 17.*

petitus? D. Fulgentij nomen non dubitauit hæreticus qui-  
dam Fotiniani erroris nota laceffere. D. Bernardi libros  
suauiter planeque mellita oratione fluentes, hæretica Berenga-  
rij cuiusdam lingua momordit, tanquam diuinum instru-  
mentum, inepto quodam commentandi, nugandiq; genere  
polluisset, fecissetque vt imperiti, grauius & granditer dicta  
putarent, quæ sic vbertim & quasi eloquenter effudisset. Sed  
& si quis Dei ministrorum in aliquo sit crimine deprehen-  
sus, quid aliud agere hæretici solent impudentissimis linguis,  
quàm vt hoc idem credatur de omnibus. Cùm enim de ali-  
quibus qui ecclesiæ præsumunt, aut sanctum alioqui nomen  
profitentur, quippiam criminis vel falsi sonuerit, vel veri pa-  
tuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt id de omnibus persua-  
sum habeatur, inquit August. Author est etiam Victor Vti-  
censis in Aphrica per Vandalos Arrianos, adeò calumnijs  
exagitados fuisse catholicos sacerdotes, vt si forsitan eorū ali-  
quis, cùm Dei populum admoneret Pharaonem, Nabucho-  
donosor, Holofernem, aut similem quempiam (vt fieri so-  
let) nominasset, mox illi obijceretur, quòd in personam re-  
gis ea dixisset: hoc enim persecutionis genus, inquit, age-  
batur hic apertè, alibi occultè, vt piorum nomen talibus in-  
sidijs interiret. At tamen grauior ea persecutio est, cùm ab  
hæreticis pietas ipsa petulantibus cachinnis excipitur, hoc  
est, cùm pium Dauidem ante arcam subsilientem ridet ir-  
religiosa Michol, cùm sacra in eo vestis (induebatur enim  
ephod lineo) scurrilitatis ac stultitiæ nomine contemnitur.  
Non tamen ob hoc pius Dei cultor desinit, quin potius in  
eo glorianter acquiescit, in quo vilescit sacrilegis, nec dubi-  
tat cum pio rege dicere: Ludam, & villior fiam plusquam  
factus sum, & ero humilis in oculis meis. Fuerat graue ni-  
hilominus in pietatis officio prophana lingua derideri, ideo-  
que prolem ex Dauide nunquam Michol, iure & ipsa con-  
tempta, suscepit. Grauior etiam diuinis hominibus perse-  
cutio est, cùm doctrina celestis prophanis linguis contem-  
nitur, cùm aduersus diuina testimonia quæ studiosè profe-  
runt, linguæ furiosæ armantur: cum falsis commentis Dei  
verba per eos ministrata, corrumpuntur; & quæ ad stabilien-  
dam pertinent catholicã veritatem, ad ædificandum rapiun-  
tur errorẽ, quòd cum cæterorum more hæreticorum Do-  
natistæ facerent, à D. Augustino iure hoc audiunt: Mitius

*In prologo  
in tres lib.  
ad Monimũ.  
Berengarius  
in Apologia  
contra Ber-  
nardum pro-  
pter damna-  
tionẽ Petri  
Abelardi.*

*August. epi-  
stola 137.  
Lib. 1. Van-  
dalica per-  
sequit.*

*2. Reg. 6.*

*Lib. 2. cõtra  
Petilia. c. 87*

P ageretis

DE VARIIS PIORVM

ageretis traiciendo ferrum per viscera prophetarum, quàm cum lingua interficere conamini verba prophetarum: aut si non sunt istæ prophetarum persecutiones, quia non fiunt ferro, sed verbo, quæ fuit causa vt diuinitus diceretur: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus? Et rursus: Iudæi, inquit, persecuti sunt carnem ambulantis in terra, vos euangeliū sedentis in celo: quod euangelium mitius pertulit scæuentium regum flammæ, quàm vestras patitur linguas. Nam illis incenditibus, vnitas mansit, vobis loquentibus manere non potuit. Qui verba Domini exusta cupiebant aboleri, non credebāt posse lecta contemni. Non ergo illi in euangelio exerceēt flammæ suas, si eis contra euangelium permetteretis linguas vestras. In illa persecutione euangelium Christi ab alijs scæuentibus quærebatur, ab alijs metuentibus prodebat, ab alijs scæuentibus incendebatur, ab alijs diligentibus abscondebatur, nullis contradicentibus oppugnabatur: sceleratiores vobis persecutionis partes, transacta gentium persecutione seruastis. Qui Christi nomen persequebantur, Christo crediderunt, qui propter Christi nomen honorantur, Christo contradicunt. Hæc Augustinus. Tametsi autem fuere tolerabiliores hac in parte Gentiles, nec ipsis tamen linguæ defuit gladius ad persequendum. Namque inter ipsos olim Christiani sceleratissimi ferebatur, de sacramento infanticidij, & pabulo Iudæ, & post conuiuium in cæsto, quod euersores luminum velut canes videlicet ac lenones, tenebrarum ac libidinum impiarum inuerecundiam procurarent. Sed dicimur semper, inquit Tertullianus, nec vos quod tamdiu dicitur, eruere curatis. Natura famæ nota est omnibus, quæ ne tunc quidem cum aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quin & asinarij dicti sunt Christiani, tanquam asinum vel asinum adorarent Deum. Hinc quidam Tertulliani tempore piçturam proposuerat, cum eiusmodi inscriptione: Deus Christianorum Ononichitis. Erat enim auribus asininis, altero pede vngulatus, librum gestans & togatus. Solem quoque adorari spargebant à Christianis, propterea quòd soliti essent ad oriētis regionem adorare. Quid libros referam, quibus nomen Christianum & disciplinam acerrimè sunt quidam infectati? Hoc enim modo Celsus, Porphyrius,

*In Apologet.  
Vide etiam  
Euseb. lib. 9.  
cap. 5.  
Natura fa-  
ma.*

phyrius, Iulianus, rabidi aduersum Christum canes, qui tum  
 eniti potuere, lingua & dente nocuerunt: quorum priori  
 Origenes octo libris, alteri methodius, Eusebius, Apollina-  
 ris, fortissimè responderunt. Iam & præter infidelitatem,  
 sola sapenumero linguam vehementer acuit inuidia, dum  
 hæc in alijs magnæ virtutis nomen ferre non potest. Sem-  
 per enim virtutem inuidia sequitur: feriuntque summos ful-  
 gura montes. Neque id, si de hominibus dico, mirandum  
 est: cum & Dominus noster Pharisæorum fuerit zelo cruci-  
 fixus, & omnes sancti æmulos habuerint: in paradiso quoq;  
 serpens fuerit, cuius inuidia mors introierit in orbem terra-  
 rum. Persequutionum igitur tempestate vel sola cedere potest  
 inuidia, multosque sanctorum aut opere infesta, læsit: aut  
 lingua vel à tergò vel coram vulnerauit. Osculabantur (ait  
 Hieronymus) mihi manus quidam, & ore vipereo detrahe-  
 bant, & dolebant labijs, corde gaudebant: videbat Dominus  
 & subannabat illos, & miserum me seruum suum, futuro  
 eum eis iudicio reseruabat, alius incessum meum calumnia-  
 batur, & risum ille vultui detrahebat, hic in simplicitate aliud  
 suspicabatur. Et alio loco: Maleficum, ait, me quidam gar-  
 riunt, titulum fidei seruus agnosco: Magum vocant & Iu-  
 dæi Dominum meum, seductor & Apostolus dictus est: ten-  
 tatio me non apprehendat nisi humana. Quotam partem an-  
 gustiarum perpeßus sum, qui cruci milito? infamiam falsi  
 criminis imputarunt, sed seio per bonam & malam famam  
 peruenire ad regna cælorum, nec fieri potest (inquit alio lo-  
 co) vt absque morsu hominum, vitæ huius pericula quis per-  
 transeat, malorumque solatium est bonos carpere; dum pec-  
 cantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Itaq;  
 & D. Chrysostomi vitam æmulorum lingua momordit,  
 quodque virtutis fuit, vt solus cibum caperet, nec inuitatus  
 quoquam iret, nec alios ipse rogaret, id potius inhospitalita-  
 litatis vitio tribuebat. Fuere qui eius in reprehendis vi-  
 tijs libertatem, maledicentiam esse dicerent, qui disciplinae  
 studium odiosæ severitatis nomine traducerent; qui gene-  
 rosi & inuicti animi constantiam, superbix crimine defor-  
 marent. Denique cum eius agnoscerent in laboribus patien-  
 tiam, in vigilijs assiduitatem, & abhorrentem ab omni libi-  
 dine continentiam, harum conscientia virtutum, immitem  
 esse illam, insultatoremq; fingeant. Quid etiam fuit beato

*In epistolam  
 ad Furiam  
 Romanam.  
 Vide Chry-  
 sost. homil.  
 23. super Ge-  
 nesim, ad il-  
 lud, Noe in-  
 uenit gratia  
 coram domi-  
 no Deo.  
 Vide cata-  
 logum episco-  
 porum ad cal-  
 cem hist.  
 Tripart.*

*Sulpitius in* Martino perfectius omni genere virtutis? & tamen nec epi-  
*scopi defuere,* qui inuidia stimulante, indignum episcopatu  
*dicent,* suisque suffragijs electioni repugnarent. Verum  
 hæcatque istiusmodi, tametsi permolesta sæpè sunt & gra-  
 uia, facillè contempserit is, cui propositum non est placere  
 hominibus. Neque enim frustra scriptum est: Deus confrin-  
 get ossa eorum, qui hominibus placent. Quid enim langui-  
 dius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine (quod ossa signi-  
 ficant) quàm homo, quem malè loquentium lingua debili-  
 tat? cum sciat falsa esse quæ dicuntur? cuius rei dolor nullo  
 modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis, eius ossa  
 confringeret. Cum proinde & Paulam sanctissimam mulie-  
 rem inuidorum viperea lingua morderet, non debilitata aut  
 contracta, sed hoc se euāgelij verbo solata est: Beati qui per-  
 secutionem patiuntur propter iustitiam. Et secura sit con-  
 scientia, inquit, quod non propter peccata nostra patiamur,  
 afflictioque in seculo, materia gaudiorum est. Cumque &  
 alias, susurro quispiam, quasi beneuolus nūciaret, videri eam  
 nonnullis præ nimio feruore virtutum insanam, cerebrumque  
 eius esse confouendum, hoc etiam aspernata respondit: Thea-  
 trum facti sumus mūdo, & angelis, & hominibus, nos stulti  
 propter Christum, sed stultum Dei sapiētius est hominibus.  
 Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: Tu scis insipientiam  
 meam. Et iterum: Tanquam prodigium factus sum multis,  
 & tu adiutor fortis: quem & in euangelio, quasi mentis im-  
 potem, ligare propinqui cupiebant, & aduersarij suggillabāt  
 dicentes: Dæmonium habet & Samaritanus est. Et in Beel-  
 sebus principe dæmoniorū eicit dæmonia. Sed nos, inquit,  
 audiamus Apostolum cohortantem. Hæc est gloria nostra  
 testimonium conscientiae nostræ, quoniam in sanctitate &  
 sinceritate & in gratia Dei, conuersati sumus in hoc mun-  
 do. Propter istiusmodi tamen virulentas obtreccationes,  
 querebatur ille, cuius in Psalmis vox est: Qui retribuunt  
 mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar boni-  
 tatem. Ac nisi permultum hæc persecutio subinde punge-  
 ret, grauiusque feriret, non Ecclesiastes diceret: Calumnia  
 conturbat sapiētem, & perdet robur cordis illius. Non enim  
 vulgaris ea tentatio est, quia calumnia nō solum falsa com-  
 ponit, verumetiam quæ piè sunt gesta decolorat, quemad-  
 modum beato Ioseph contigit. Idcirco Propheta precatus  
 est: Li-

*Vide Hiero-  
 nymū in vi-  
 ta Paula.*

*Cap. 7.*

est: Libera me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua. Qui enim opprimitur calumnia, non facile potest Dei mandata custodire. Tristitię quippe necesse est plerunq; aut timori cedat, aut affligatur, vel metu calumnię, vel dolore. Si non esset grauis linguę persecutio, non illos malevolentissimos Iudęos, impium hoc aduersum Prophetam consilium inijsse legeremus. Venite & cogitemus contra Hieremiã cogitationes: Non enim peribit lex à sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta. Venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius. Sic Christum Dominum, sic eius Apostolos impij Iudęi lingua percusserunt, cum eos diuinę legis hostes esse, defectionemq; à Moysē moliri criminantur. Deniq; Tobias qui mortis metum fortiter superauerat, qui orbatus etiam Dei permisso luminibus gratias egerat, lingua percussus vxoris, tanquam spem vanam misericordię sequeretur officijs, tum demum ingemuit, & cum lachrymis orare cœpit, dicens: Iustus es Domine. Veruntamen plus sæpè assentantium, quam vituperantium lingua persequitur: neque explicari oratione breui potest, quam multos in perniciem blandum hoc persecutionis genus rapuerit. Quis enim facile suum repudiet laudatorem? Namq; immodico sui amore plerique tenentur, ideoq; sermonem ad voluptatem suam fictum atq; compositum, laudum suarum esse testimonium arbitratur. Nec facile quisquam assentatoribus patefacit aures suas, nisi qui sibi ipse prius assentetur, seque maximè delectet. Quamuis autem blanda ista vanitas apud eos præcipuè valeat, qui eam ipsi allecunt atque inuitent, animaduertere tamen & grauiores constantioresque debent, ne callida assentatione capiãtur. Hoc vt Gentilis orator prudenter admonuit, ita quantum subesset huic malo periculi, pulchrè innouerat qui dixit: Auertantur statim erubescences, qui dicunt mihi, Euge, euge. A quibus impendentem perniciem, deprecabatur aliàs à sese, cum scriberet: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Non enim ignorabat quod scriptum est ab Ecclesiaste: Melius est à sapiente corripi, quam decipi stultorū adulatione. Istorum oleo pinguefacta esse hæreticorum capita, declarant ipsi cum dicunt, inquit August. Ego sum, ego sum; & respondetur illis: Tu domine. Accipiunt euge, euge, atque hoc cum oblectati ac de-

*Ambros. in  
Psalm. 118.  
serm. 17.*

*Tob. 2.*

*Cicero in lib.  
de amicitia.*

*Cap. 7.*

*In Psalm. 69.*

liniti sequuntur, cæci ipsi cæcorum duces fiunt. Apertissimis (ait) vocibus Donato dicuntur ista cantica: Euge, euge, dux bone, dux præclare; & non dixit ille: Auertantur statim & erubescant qui dicunt mihi, Euge, euge. Nec eos correxit, vt Christo dicerent, dux bone, dux præclare. At verò Apostolus formidans euge hominū; vt verè laudaretur in Christo, noluit se laudari pro Christo, dicentibusque nonnullis: Ego sum Pauli. Respondit in libertate Domini, Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Denique innumeros linguæ persecutio perdidit, dum sub imagine consulendi, nocendi pernicies delitescit. Sic sapè & necessarij operis aggressio, & in susceptis bonis profectus progressiove relinquitur. Ideoque vir pius dum sensim ad iustitiæ perfectionem & culmen enititur, ascensionesq; eiusmodi in suo corde meditatur, non iniquas modò linguas apertè improbantes ac vituperantes, verumetiam subdole consulentes, extimescit; quemadmodum significatum est in Cantico graduum, in quo ascensus precatur: Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Et quo persecutionis huius significaretur pernicies, adiunctum est: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? cuius profectò aduersus laqueos, satis esse munita non potest innocentia, nisi Dominus adiutor & protector extiterit. Eam ob rem illi confiteretur sapiens Ecclesiasticus, eumque collaudat: Quia liberaisti corpus meum, inquit, à perditione à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium. Porro quod attinet ad detrahentium persecutionem siue laudantium, vtilem admonitionem Sixtus Papa 3. cum & ipse hoc genere persecutionis fuisset appetitus, reliquisse videtur ad episcopos Orientales: Nec mirum, inquit, si me persequuntur æmuli mei, cum caput nostrū, quod est Christus, olim æmuli sanctæ Dei ecclesiæ, seruorumque eius sint persequuti. Vnde & ipsa pro se veritas dicit: Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Quæ iterū dicit: Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat, diligeret, sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hæc (fratres) cum & nos sciamus, & eadem vt alij norint, prædicemus, vosque ea perfectè scire non dubitemus, propter insidiantium vituperationes aut accusationes, vel

Cap. 51.

Tomo 1. conciliorum.

propter adulantium laudationes, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare debemus, sed inter verba laudantium siue vituperantium, ad mentem semper recurrendum est. Et si in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magnam id tristitiam generare debet. Et rursus: Si in ea non inuenitur malum, quod de nobis hominum sermone iactatur, in magnam debemus lætitiā proflire. Quid enim si omnes laudent, & conscientia nos accuset? aut si omnes quidem accusent, at nos conscientia liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia: nostræ. Iob quoque dicit: Ecce in cælis testis meus. Si ergo nobis est testis in cælo, testis in corde, sinamus stultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes, quàm in terram insufflant, atque in oculos suos puluerem excitât, vt quo plus efflant detractionis, eò minus quicquam videant veritatis? Hæc piissimus ille Pontifex. Cui non dissimilia Horatius ipse, sic carmine dicere potuit:

*Mordeat opprobrijs falsis, mutemque colores?*

*Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret,*

*Quæ nisi mendosum & mendacem?*

*Neminem à persecutione immunem esse, quando & improborum periti mores magna sint piorum persecutio.*

## CAPVT LIIII.

**A**C suere quidem omni ætate, quos persecutionum isti turbines, etiamsi vsquam feruerent, non tamè attingerent: qui neque inficiebantur errore, neque hostili violentia aut lingua premebantur. Veruntamen ad omnium piorum persecutionem pertinet fidei & religionis oppugnatio, quod enim omnium vnum idemque est, adeoque pretiosum & necessarium, vt temporaria huic vitæ longè sit anteponendum: hoc quisquis persequitur, is omnes sine dubio, quorum id est commune, persequitur. Et quàm multos infirmos offusæ errorum nebulæ, fluctuare omnî tempore coegerunt? Nam quæque hæresis quantalibet absurditate desperet, vt sæpenumerò miretur posteritas ab vllis humano iudicio præditis suscipi potuisse, tamè dum grassaretur, eas multorum animis offudit tenebras, vt vel deijceret omnino, vel infirmos complures quasi dubitatione claudos efficeret: Firmioribus verò, quantum censes afferri do-

P 4 loris

*Lib. i. epistolæ  
Solarum,  
epistola ad  
Quintium.*

loris ipsa varietate atque aduersitate sententiarum? Dum enim eos qui haberi Christiani volunt, non vnam profiteri cernunt sententiam de dogmate Christiano, intelligunt plane quantum apud hostes nominis Christiani, religionis maiestati atque authoritati detrahatur. Atque hoc cum intelligunt, gemere coguntur tanto altius, quanto magis Christi gloria curæ est, quantoque veritas & salubritas doctrinæ cælestis habetur perspectior. Namque pagani (vt est apud Augustinum) & cum nihil habent quod aduersus Christi nomen obijciant, tamen dicere soliti sunt: Quare inter vos non consentitis? Itaque hæresis quacunque in parte grassetur, & infirmis periculosa, & cordationibus permolesta têtatio est: quin & hominum vita impura malorum, sæpè acerba grauisque pijs persecutio est. Id nisi sic esset, non de Loth scriptum legeremus, quòd eius animam Sodomite iniquis operibus cruciabant, nemo ei per inflictas corporis pœnas illic molestus erat, sed hominem iustum aliena torquebat iniquitas, tædiumq; detinebat à peccatoribus derelipientibus legem Dei. Hinc & alius, cum eodem tædio cor eius angere-tur: A finibus terræ, inquit, ad te clamaui dum angere-tur cor meum. Inde quoque ille communis piorum luctus: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dū recordamur tui Sion. Babylonis enim, hoc est, impiæ ciuitatis iuxta flumina constituti, quibus nemo lauatur, sed polluitur, nemo sanatur, sed necatur (cursu enim rapidissimo feruntur ad mortem, secumque præcipites rapiunt, quos vndis semel suis inuoluerint:) iuxta hæc igitur flumina pij constituti, siue errorum ea sunt, siue morum corruptorū, quid aliud quàm flere & lugere possunt, qui iustitiã innumeris violari modis, non sine summo dolore conspiciant? Persequuntur enim omnes mali bonos, non ferro aut lapidibus, sed vita & moribus: quod qui non satis adhuc intelligunt, vereantur ne nondum in Christo piè viuere incœperint, aut parum certè profecerint in eo genere vitæ. Quid enim est in Christo piè viuere, nisi sic affici, vt ad te pertineant viscera illa, de quibus Apostolus dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vrer? Aliorum igitur infirmitates & scandala persecutiones illi suère, tantumque torquet iustum iniquitas aliena, quantum recedit à sua. Sensi (inquit August. ad quendam Sebastianum scribens) sensi in epistola tua,

Serm. 82. in  
separatim  
excusis.

cap. 1. dicit  
inuenit  
in libro  
de ciuitate  
dei

tua, quod tædium te detinuerit à peccatoribus derelinquentibus legem Dei. Illo enim spiritu viuis, quo dictum est: Vidi infensatos & tabescebam. Pia est illa tristitia & (si dici potest) beata miseria, vitijs alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi: hæc est persecutio quam patiuntur omnes qui volunt in Christo piè viuere, secundum Apostolicam mordacem veramq; sententiam. Quid enim hic tam persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum? Non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt. Quoniam coram pio viuens impiè, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Nam sæpè & diu piorum corporibus, à secularibus temporibus & quorumlibet vexationibus parcitur, piorum autem cordibus à malis hominum moribus nunquam vsq; ad huius seculi finem. Sic potius impletur quod commemorauit dixisse Apostolum: Quia omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur: & tantò amarius, quantò interius, donec diluuium transeat, vbi arca continet eorum & columbam. Idcirco sancta ecclesia lamentatur: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Quia (D. quidem

*Isaie 38.*

*Bernard. in*

*sine ser. 33.*

*super Cæsica*

pax tamen non sit à paganis & ab hæreticis, prius amara fuerat in nece martyrum, ac post amarior in conflictu hæreticorum, omni tempore, locisque omnibus amarissima est in moribus domesticorum. Quid enim grauius aut acerbius, quam vt eorum factis, vel impuris, vel auaris, vel iniquis, aut crudelibus, ruinas ecclesia patiatur, quos suo in sinu tolerare cogatur? Exempli causa commemoro, quod est apud D. Gregorium: Corsica, inquit, insula, tanta nimietate exigantium, & grauamine premitur exactio num, vt ipsi qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur, complere vix filios suos vendendo sufficiant. Vnde fit vt derelicta pia republica, possessores eiusdem insulæ, ad nephandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius à barbaris pati possunt, quam quod constricti atq; compressi, suos vendere filios compellantur? Ipsa quoque inter Christianos præsertim principes orta è cupiditate discordia, atque huius gratia collisio populorum, beluinusque hominum concursus, dici non potest quantum ecclesiam labefactet: lernam enim scelearum bella secum trahunt, pietatis

*Epistola ad  
Constantianam  
Augustinæ lib.  
3. Registri 33*

DE VARIIS PIORVM

officia disturbant, iura omnia diuina & humana subuertunt,  
vt taceam quod ille deplorat :

Vergilius  
Ægloga 1.

*Impium hæc tam culta noualia miles habebit?  
Barbarus has segetes? En quo discordia ciues  
Perduxit miseros? en queis conuenimus agros?*

Lib. 6. Re-  
gist. epist.  
27. ad Nar-  
sem religio-  
sæ.

In quo genere malorum, etsi fortibus quibusdam, & hæc  
caduca despicientibus exercitatio virtutis est, plerisque tamen  
infirmis inest periculosa tentatio. His igitur atque similibus  
(quæ multa sæpe sunt inter Christianos) qui non affliguntur,  
præsertim quia nulla ex ijs temporarijs in rebus, detrimenta  
capiunt, pij esse non possunt, verissimeque D. Gregorius  
quandam religiosam foeminam cum de persecutione que-  
reretur, admonuit. Confidenter dico, quia minus pie viuas, si  
minus persecutionem pateris. Istiusmodi quippe domesti-  
corum factis innumeri sæpè pereunt, dum tolerabiliores pa-  
tiuntur Christi hostes, quam eos qui se profitentur eius esse  
cultores: sic ab ecclesiæ castris disceditur, sic dij alieni colun-  
tur, dum superbus & iniquus Saul Dauidem humilem perse-  
quitur. Porro tametsi aliqui sunt ita mali, vt neque scilicet sint  
neque asperi, tamen ex radice cupiditatis spinæ oriuntur, qui-  
bus & vicini pungantur. Nam neque spinæ pungunt in ra-  
dicibus, sed ex his quod pungat, sensim enascitur. Ioannem  
Baptistam non pungebat Herodes, cum audito eo multa fa-  
cere videbatur, sed radix libidinis spinas aliquando produxit  
asperas. Cum enim regem ea cupido vinceret, ex eaque te-  
neret apud se prohibitam vxorem fratris sui, monitus id ne-  
phas esse, serioque à Ioanne correptus, iustum tandem pro-  
phetam adulter occidit: atque vt palam esset, quam sæpenu-  
mero spinas delitiæ proferant, inter epulas atque conuiuia,  
consummandæ crudelitatis profertur edictum, & à cõuiuio  
ad carcerem, de carcere ad conuiuium, feralis flagitij circum-  
fertur obsequium. Sic Naboth dum regiæ cupiditati minus  
obsecundat, excogitato criminationis scelere appetitus, in-  
nocens perimitur. Sic blandientes primum ad explendam li-  
bidinem senes, Susannam sceleratæ eorum voluntati pudicæ  
repugnantem, quantum in ipsis situm fuit, postea publico te-  
stimonio iudicioque suo necauerunt. Et persecutionis quoque  
crudelitatem, ex luxuria oriri Sapiens indicauit, cum ait, di-  
cere quosdam seculi huius amatores, & de futura felicitate  
desperantes: Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vta-  
mur

Sapien. 2.

mur creatura tanquam in iuuentute celeriter. His igitur hominibus quid blandius, quid suauius? sed vt hinc intelligas persecuutionis crudelitatem enasci, dum videlicet luxuria, ferueritatem contradicentis sibi veritatis ferre nō sustinet, hanc etiam illorum vocem adiungit: Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reueremur canos multi temporis: Sit autem fortitudo nostra, lex iniustitiæ, quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & cōtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ: Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat: factus est nobis in cōtradictionem cogitationum nostrarum; Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius & immutata sunt viæ eius. Ex his abunde (vt opinor) cognoscitur, placere non debere homines, quasi leues & blandos, qui sint tamen amatores carnalium voluptatum, & iniquitatum cupiditatum sectatores. Etenim etsi adhuc videantur in ijs quæ faciunt leues, tamen radices illæ spinarum sunt, quibus pij sese pungi tum sentiunt haud raro, cum vel officij ratione, vel ex fraterna dilectione, perditos quorundam mores sanare nituntur, aut orationis seu correptionis, aut operis medicina. Certè cum per luxuriam quæ possidebant, effuderint; nunquid non aliunde perditam recuperabunt? nunquid iam parcent rapinis & cogitationibus, fraudum omnium genere malignitatis exquirendo? Itaque homo spiritualis & iustus, inter huius mundi amatores, & ciues constitutus, varia prorsus ac multiplici ab illis persecuutione fatigatur, dum vult ille sursum ascendere: Isti deorsum nituntur premere, dum subuolare ille nititur ad Deum: Isti pennas conantur conuellere, dum hi denique aut factis asperi, aut persecuutionibus graues sunt, aut consilijs insidiosi, aut certè moribus contrarij. Non modò enim hæretici vel Pagani, sed etiam catholici mali, inquit Augustinus, id est, superbi & impij, eos quos in ecclesia mansuetos & humiles viderint, persecuntur: vt quanquam ciuitas illa magna, in tres diuisa partes esse videatur, (quemadmodum & in Apocalypsi diuisus ille Ioannes significat) tamen ad sanctorum persecuutionem, tres illæ quamuis inter se distractæ partes, vna quasi mente concurrant. Ideoque vir iustus patriæ cælestis contemplatione (in  
qua

DE VARIIS PIORVM

qua malus erit nemo) suæ peregrinationis infœlicitatem agnoscens: Heu mihi, ait, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis. Deplorat igitur Propheta piissimus, iusti cuiuslibet in eo personam sustinens, quod inter huius deserti tenebras, quæ nomine Cedar designantur, id est, vitiosos homines & carnales (quos tenebras appellare scriptura consuevit) indefinenter oppugnatus, pacem habere non possit. Ideoque & aliàs ipsius hæc oratio est: Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me, educ de custodia animam meam.

*Psal. 141.*

*Nemini hostem deesse à quo persecutionem patiamur, quando  
& hostem habemus, dum viuimus, in nobismetipsis  
inclusum. CAPVT LV.*

**S**ED quid procul, aut quid etiam extra nos quærimus hostes à quibus persecutionem patiamur? Intus, intus latet hostis inclusus, intus periculum est, in seipso quisque circumfert inimicum, vnde crebra persecutione quatitur: Si enim non esset inimica concupiscentia, non illam odisset Apostolus, non aduersus eam bonus in eo spiritus concupisceret, non propter illam castigaret corpus suum, & in seruitutem redigeret. Si persecutionem illa perpetuam non moueret, etsi ea periculosa persecutio non esset, non se exclamaret infœlicem, qui vinculis & custodia corporis huius teneretur, in quo illa bella sua indefinenter excitaret. Tanto periculosior ille hostis est, quanto semper vicinior, tantoque minus hostis putatur, quãto magis noster esse, ac de eo quod sumus & amamus, moueri videatur. Tanto vincitur difficilius, quanto est in nobis inueteratior. Hostis hic primus oppugnat, vltimus superatur. Hoc si hoste careremus, non esset cur externos quoscumque hostes, magnopere formidare deberemus. Huius ope diabolus insidiatur & vincit, ac sæpè numero quos per tormèta superare nequiuit, per domesticum illum hostem, nullo cogente aut torquente prosternit. Aduersarius enim qui apertis inefficax persecutionibus fuit, tecta nocendi arte defauit, vt quos non perculit ictu afflictionis, lapsu deijciat voluptatis: quorum obtinere non potest mortes, horum impetit mores, terrores proscriptio-  
in aua-

in avaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Sic cruentas inimicitias ad quietas conuertit insidias, vt quos vincere fame & gelu, flammis ferroq; non poterat, otio tabefaceret, cupiditatibus vitaret, ambitione inflaret, voluptate et illecebris varijs irretiret. Malignitas enim diaboli longo vsu propriæ imbuta nequitia, non deposuit odium, sed vertit ingeniū, quo sibi mentes fidelium blandius subijciat. Inflamat concupiscentijs, quos non potest vexare tormentis, ferit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiōra corda se reuocēt, consummandorum scelerum ingerit facultates, conquiescit exterius, sed piorum penetralia inquietare non desinit. Vnde illud: *Quamdiu, inquit, ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vsq; quo exaltabitur inimicus meus super me? Respice & exaudi me Deus meus. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eū. Verissimè quippe dictum est: Quoniam tentatio est vita hominis super terram; nec solis doloribus corporis atque supplicijs anima fidelis imperitur, verū etiam salua incolumitate membrorum, graui vrgetur morbo; si carnis voluptate molliatur. Non igitur cum diabolus per reges non scuit, ileo Christiani nulla persequutione premuntur: si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persequutiones, si autem aduersarius noster viuit, vnde non tentationes suggerit? vnde non scuit? vnde non scandala ruinasque procurat? O si incipias piā Christo viuere, experientia quoque tua comperies, quā illud verè dixerit Apostolus, persequutionem te passurum esse. Pugnandum enim tibi mox esse senties cum inhærentium turba quadam vitiorum, cum suggestionibus phātasmatum, cum perturbationibus passionum. Etenim cum avaritiā nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressit est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est, obsessa mens hominis & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit: Si avaritiā prostrata est, exurgit libido, si libido compressa est, succedit ambitio, si ambitio contempti est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat: Inuidentiā cōcordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit, cogers maledicere quod lex diuina prohibet, compelleris iurare quod non licet. Tot persequutio-*

sequutio-

DE VARIIS PIORVM

sequutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vi-  
getur, vt habere & pax coronas suas possit, quibus de varia  
& multiplici cōgressione victores, prostrato & subactō ad-  
uersario coronemur. Nam libidinem subegisse, continentie  
palma est, contra iram, contraque iniuriam repugnasse, co-  
rona patientiæ est; de auaritia triumphus est, pecuniam sper-  
nere; laus est fidei, fiducia futurorum mundi aduersa tolera-  
re: & qui superbus in prosperis non est, is gloriam de hu-  
militate consequitur. Rectè proinde Christianeque omnino  
D. Hieronymus, Erras frater, erras, si putas vnquam Chri-  
stianum persequutionem non pati. Tunc maximè oppugna-  
ris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster tanquam leo  
rugiens, aliquem deuorare quærens circuit, & tu pacem pu-  
tas? Sedet in insidijs cum diuitibus, vt in occultis interficiat  
innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt; insidiatur in  
occulto sicut leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat paupe-  
rem, & tu frondosæ arboris tectus umbraculo, molles som-  
nos futurus prada carpis? Inde me persequitur luxuria, inde  
auaritia conatur irumpere, inde venter meus vult mihi deus  
esse pro Christo, compellit libido vt habitantem in me Spi-  
ritum sanctum fugem, vt templum eius violem. Persequitur,  
inquam, me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes, &  
ego infœlix vitorem me putabo, dum capior? Sic & D. Am-  
brosius: Discamus, inquit, cauere quem gerimus, hic nobis  
hostis domesticus, hic inimicus grauis nostri ipsius corporis,  
inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occurfan-  
tis accenditur, spe alitur, desperatione vitur, illecebris exurit-  
tur, non euaporat affectu, timore turbatur, metu frangitur,  
luxuria mollitur, lasciuia dissoluitur, labore afficitur, sollici-  
tudine fatigatur, passione conteritur. Miraris si inter tot ad-  
uersarias passionum vices, se etiam iustus tenere vix possit,  
cum impares simus etiam singularum certamini passionum?  
Quem vel sola libido non iudicet? quem non subiuguet au-  
aritia? quem formido non quatiat? quem luxuria non ener-  
uet? quem lasciuia non emolliat? quem non supplantet ebrie-  
tas? quasi conscius igitur carnalis infirmitatis, & explorator  
persequutionis hostilis, dicit: Paulominus consummauerunt  
me in terra. Quod igitur accidit Iudæis, Babylonica serui-  
tute & captiuitate liberatis, vt propter inimicorum crebros  
atque insidiosos impetus, altera quidem manu facerēt opus,  
ad adi-

*Ad Helio-  
dorum.*

*D. Ambr. in  
Psalm. 128.  
serm. 11.*

ad ædificandum, altera verò gladium tenerent ad repugnandum: id pijs quoque omnibus faciendum esse perspicitur, ne inter hostes varios atque multiplices, ædificium iustitiæ securi erigant, quod vno persecutionis impetu subuerti celeriter possit. Atq; vt filij Israël contra aduersarios Philistæos, quadraginta dierum spacio vigiles atq; armati steterunt: ita nobis est toto huius mortalis vitæ curriculo, tanquam in excubijs armisque vigilandum. Quadraginta enim dies vitam præsentem significant, in qua contra Goliath vel exercitum eius, id est, contra diabolum & angelos eius, populus Christianus pugnare non desinit: Nec tamen vincere posset, nisi verus David Christus cum baculo, id est, cum crucis mysterio descendisset.

*Tum demum Christi seruis pacem & quietem fore, cum dænarum quæ hic permixtae sunt ciuitatum fuerit facta discretio. CAPVT LVI.*

**P**ER hunc Dei seruis tum demum pax erit firma & solida securitas, cum permixtarum in hac vita ciuitatum fuerit facta discretio: cum tritico in æterna cæli horrea congregato, paleæ vna cum zizanijs igni tradentur inextinguibili, cum oues denique simplices ad dexteram collocatæ, læta iudicis voce regnare iubebuntur, hædi verò sempiternis mancipabuntur tenebris. Tum neque iustum persecutione premet impius, extrema ipse deiectione depressus, neq; vlllo amplius astu callidus circumueniet impostor, sua ipse arte inextricabiliter circumuentus: nec mordebit lingua viperea, quam vermis ille qui non moritur, sine supplicij sine corrodet. Illustris tum veritas errorum inuolucra non timebit, & virtus meritæ laudis & gloriæ præmio munerata, irrisorum iacula, superbiæque contemptum euaserit. Hic enim ab huius mundi amatoribus & ciuibus, tanquam sine domicilio peregrina contemnitur, nec tamen de conditione miratur. Scit enim se peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos inuenire, ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere. Hic interim contempta & afflictæ solaque futuri expectatione subnixæ, audire subinde cogitur. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?

*Nimirum vacue creduntur friuola famæ  
Quæ miseros optare inbent quandoque futuri*

*Spem*

## DE VARIIS PIORVM

*Spem fortasse boni, lenta vt solatia mollem  
Desidiam, pigro rerum medicamine palpent.*

Hic igitur (quemadmodum scriptum est) à sapientibus mundi huius, deridetur iusti simplicitas; Hic iustorum atque simplicium irrita virtus, caleatur à superbis ac premitur: quid mirum?

*Iustitia est nam semper egens & pauper honestas  
Arida sobrietas, albo ieiunia vultu*

*Sanguine vix tenui pudor inter fusus aperta  
Simplicitas & ad omne patens sine tegmine vulnus.*

Vnde illa consequuntur, quæ superbè impiorum ciuitatis aduersus pios conatum expresserunt.

*Faxo ego sub pedibus stipularum more teratur  
Inualida ista manus, neque enim perstringere davis  
Dignamur gladijs, a genti & sanguine ferrum  
Imbuere, & fragili vires sedare triumpho.*

Sed quod alienis in sedibus peregrina patitur regno donata beato, minimè iustitia patietur, quando stabunt iusti (sicuti verissimè prædictum est) in magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum. Quid enim aliud hic impij, cum iustos persequuntur ac premunt, quàm ( quantum eniti possunt) piorum intercipiunt laborum fructus? Sed benè habet, quod interemptis corporibus, non amplius habent quod faciant. Animus enim apud Deum semper viuens, iustitiæ suæ præmio fraudari non potest. Ex quo illud sine dubitatione futurum est, vt & corpus, cuius membra virtutum officijs ad mortem vsque seruerunt, beata immortalitate & gloria vestiatur. Hac impij cõspecta non iam persequendo & seruiendo turbabunt, sed turbabuntur ipsi timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperata salutis, dicentes intra se, poenitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors eorum est. Tunc igitur Dei serui non sub persequetium pedibus prostrati iacebunt, sed supra suos persequutores merito virtutis euecti, stabunt in magna constantia, quia in bona conscientia: Nec seruient amplius dominantibus impijs, ad viles & asperos abiecti labores, sed quem-

quemadmodum sacer canit Pfalmus: Dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum. Beatum illud mane quod tum lætissimo splendore promicabit, cum seculi huius incerta transferint, virtutis nobilitatem ac precium planè illustrabit, quæ hic tãquam in tenebris non agnita conculcatur. Cur enim non istæ tenebræ videantur? facit malè quispiam, viuit tamen, floret, terret, honoratur: facit aliud benè, reprehenditur, blasphemat, accusatur, laborat, terretur. Sed quæ per seculi huius tenebras latet virtutis præstantia, tum demum illustris apparebit, cum mane illud vltimum Christo veniente refulserit, tum demum suo vestietur virtus honore, fructibusque suis foecundabitur. Tunc erubescunt qui petulanter antea insultabant, tunc pœnitentiam agent, sed seram & infructuosam, qui salutarem iustorum pœnitentiã aliquando contempserant. Tunc muta fient, quemadmodum ait Propheticus psalmes, labia dolosa quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & abusione; Modò enim dicunt nobis: Vbi est Deus vester? quid colitis? quid videtis? creditis & laboratis: certum est quod laboratis, incertum est quod speratis. Hoc illi quidem modo, qui bona huius seculi videre norunt, bona autem futuri seculi nec cogitare sciunt. Sanè testis est Eusebius, obtritis vbique varia persequutione Christianis, exultasse gentes magnificasseque deos suos, quorum virtute sumpta de illis supplicia dicerent: Si quis autem, inquit, inter ipsos paulò mitior vel humanior videbatur, vbi nunc est (aiebant) Deus eorum? Et quid profuit eis ista religio, pro qua etiam animas posuerunt? Eratque apud illos varium istud insultationis genus. Sed cum venerit quod speramus, tunc muta fient labia dolosa. Tunc, sicuti ab Isaia prædictum est, Egredientur iusti (per scientiam) & videbunt cadauera viro- rum, qui præuaricati sunt in Christum: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsq; ad satietatem visionis omni carni. Spectabitur illic à nobis semper, inquit Cyprianus, qui hic nos spectauit ad tempus, & in persequutionibus factis, oculorũ crudelium breuis fructus, perpetua visione pensabitur. Iacebũt illorum tunc cadauera, qui martyrum corpora peremerunt. Sic enim scriptum est: Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcũ suum, vt deiciant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde.

Q

Gladius

*Infidelium  
contra christi-  
anos in-  
sultatio.*

*Vide Aug.  
li. 1. de ciuit.*

*Dei, cap. 29.*

*vbi docet  
quid respon-*

*dendum sit  
his qui istius*

*modi verbis  
insultant*

*christiano.*

*Lib. 5. eccle-  
siast. cap. 3.*

*In fine tra-*

*ctatus ad  
Demetria-*

*num.*

DE VARIIS PIORVM PERSECVT.

*Persecutor  
in semetip-  
sum magis  
sc̄uit quàm  
in martyre.*

*Apocal. 11.  
Esa. 57.*

*1. Pet. 4.*

*Apocal. 14.*

*Apocal. 21.*

Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum con-  
fringatur. Dum igitur sanctorum corpora feriunt, intrat gla-  
dius in corda ipsorum; & illos quidem leuiter lædunt, sibi met-  
ipsis verò ad æternam mortem vulnus infligunt. Sic desipiunt,  
sic se contra semetipsos sc̄uire non aduerunt, sic de suis cor-  
poribus cadauera faciunt, tanquam si vellet quispiam suum  
corpus traicere, alterius vt vestem cõcideret. Iacebunt igitur  
persequentium cadauera, & occisorum corpora stabili im-  
mortalitatis vigore consistent. Hic illi interim iustis exultat  
oppressis & epulantur, & inuicẽ munera mittunt. Quoniam  
vt est in Apocalypsi, hi duo prophetae cruciauerunt eos, qui-  
bus & grauis eorum aspectus est. Hic perit iustus impiorum  
persequutione sublatus, & non est qui recogitet, aut quam  
damnosa sit rebus humanis eorum subtractio, aut quam sit  
eorum sc̄elix & beatus exitus, quibus mors vitæ principium  
est, aut quam in eorũ morte grauis sit damnatio impiorum,  
quia si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?  
Sed hæc pereuntibus iustis, nemo penitus considerat, nemo  
alta mente reponit: viri misericordiae colliguntur, nemine exi-  
stente qui intelligat. At vbi expleto tẽpore spiritus vitæ sese  
rursum in eos infuderit, steterintq; super pedes suos, & ascẽ-  
dere iussi fuerint, rapti obuiam Christo in aera; tunc huius  
vitæ pernitiõsa securitas metu horribili; tunc contemptus ac  
despicientia ob seruilem abiectamq; sortem piorum, gloriæ  
ingenti admiratione; tunc epulæ & crudelis de sanctorum  
morte lætitia, æterno amarissimoq; dolore commutabitur:  
tunc calcabitur torcular extra ciuitatẽ, hoc est ecclesiam, cum  
fiet æterna bonorũ à malis separatio, & sanguis exiet de tor-  
culari vsq; ad frenos equorum, quoniã vltio pertinet vsq; ad  
ipsum quoq; rectores populorũ, vt potetes potenter tormẽta  
patiantur. Tunc deniq; auferet Deus omnem lachrymam ab  
oculis sanctorum, & non erit amplius neq; luctus neq; cla-  
mor: quando neq; intus erit, quod spiritualem mentem in-  
festet, neq; foris quod cruciet: quando neque inuisibilis erit  
hostis qui fallat, neque visibilis qui terreat. Quem ad  
statum beatæ pacis nos piosque omnes pro-  
uehere dignetur pater futuri seculi,  
princeps pacis Christus Iesus,  
qui est benedictus in se-  
cula. Amen.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE HOC libro continentur :

<b>A</b> Bel typus Christi.	Folio 9.
Abda episcopus Pyraeum subuertit.	21.
Abrahae sacrificium, Genes. 15. cuius rei typus fit.	54.
Acephalorum persecutio.	84.
Acephali cooperante Seuero, Antiochenam ecclesiam infestant.	85.
Acephali crucem Christi lapidant, & ecclesias mirè deformant.	Ibid.
Admonitio Sixti Papae contra detractum vel laudantium persequutionem.	115.
Adrianus in libertatem restituit Christianos, & Iudeis Hierosolyma interdixit.	6.
Adrianus imperator vt locum Dominicae passionis dehonestaret.	12.
Aerius dolet se non ordinatum episcopum.	61.
Afflictiones sanctorum suas Christus deputat.	
Agathae in tormentis fortitudo.	13.
Alaricus ad basilicas sanctorum confugientibus parcit.	17.
Alaricus sacra vasa ad basilicam Petri iubet reportari.	Ibid.
Albigensium persecutio quam fœda & crudelis.	96.
Albigenses seu Henriciani, quos habuerint propugnatores.	Ibid.
Altaria radere summum sacrilegium.	108.
Amor seu charitas inter ciuitatem Dei & diaboli distinguit.	2.
Amor ventris inimicos Christi efficit.	58.
Ambitio haereson mater.	59.
Ampulla chrisnatis à Donatistis abiecta, diuinitus illa permansit.	80. & 82.
Anastasio temeritatem quo modo punierit Deus.	84.
Anglicana persecutio.	100.
Anima fidelis quot patiatur quotidie persecutiones.	119.
Antonini Veri persecutio.	12.
Antichristi signa quomodo signa & prodigia mendacij.	45.
Antichristus cur idola damnaturus.	94.
Aranearum tele nigerrimae Constantini tempore decedentes, quid significarint.	87.
Arcadius signo diuinitus accepto contra Persas pugnat et vincit.	11.
Arrius specie religiosus, gloriae cupidus.	59.
Arrij finis.	Ibid.

Q 3 Arria

INDEX RERVM.

<i>Arrianorum per Romanos principes furores.</i>	68.
<i>Arrianorum sub Valente persecutio.</i>	70.
<i>Arrianorum sub Iustina Valentiniani matre persecutio.</i>	71.
<i>Arriani quomodo Constantium irretierint.</i>	68.
<i>Arrianorum Gottorum persecutio.</i>	72.
<i>Arrianorum nequitiā sepulturam catholicis negat.</i>	70.
<i>Arrianorū episcopi nō minus seuiūt, quā ipsi Vandalorū reges.</i>	77.
<i>Arrianorum quidam episcopus B. Pauli ecclesiam inuasurus, cecitate percutitur.</i>	79.
<i>Arrianorum ad circumueniendum industria.</i>	39.
<i>Artes diaboli in excogitandis contra Christianos tormentis.</i>	31.
<i>Assur figura diaboli.</i>	103.
<i>Athanasij de Arrianorum persecutione testimonium.</i>	69.
<i>Attila Hunnorum dux describitur.</i>	18.
<i>Attila Leonis oratione perterritus.</i>	Ibid.
<i>Attila Metensium urbem destruit.</i>	Ibid.
<i>Attila proprio sanguine obrutus, interijt.</i>	Ibid.
<i>Auauitia fons harescon.</i>	58.
<i>Augustus Gottis deuictis Italiam liberat.</i>	74.
<i>August. quid in Vandalica persecutione maximè defleuerit.</i>	75.
<i>August. oratio dum Hipponensis ciuitas obsideretur.</i>	76.
<i>August. tertio obsidionis mense moritur.</i>	Ibid.
<i>Aureliani imperatoris persecutio, &amp; in eū iusta Dei vindicta.</i>	13.
<b>B</b> <i>Arbarorum persecutio.</i>	16.
<i>Barbarorū feritas diuinā vocationē impedire non potuit.</i>	Ibid.
<i>Basilij Arrianorum furores deplorat.</i>	70.
<i>Bella quomodo Christus abstulit.</i>	25.
<i>Berengarij descriptio.</i>	63.
<i>Bestijs homines sepe ferociores.</i>	1. & 74.
<i>Bestijs à Daniele visis quas persecutiones comparet Optatus.</i>	15.
<i>Bestia septem capitibus &amp; decem cornibus de mari ascendens.</i>	53.
<i>Boetius cur à rege Theodorico proscribatur.</i>	73.
<i>Britanniæ corruptissimus status &amp; depopulatio.</i>	22.
<i>Britannia restituitur.</i>	23.
<b>C</b> <i>ain vt primus fundarit Babylonem, de qua in Apocal.</i>	5.
<i>Cain typus Iudæorum persequentium.</i>	9.
<i>Casianus à proprijs discipulis perimitur.</i>	28.
<i>Cham hereticorum typus.</i>	47.
<i>Cæsarea regis Persarum vxor baptizatur.</i>	22.
<i>Cymbrica irruptio.</i>	20.
	Cirila

INDEX RERVM.

68.	<i>Civila in præsumptione miraculi quomodo confundatur.</i>	77.
70.	<i>Childericus Vandalorum regnum adeptus, dirutas Christianorum</i>	
71.	<i>ecclesias instaurat.</i>	78.
68.	<i>Christus prædicitur Rex omnium gentium futurus.</i>	10.
72.	<i>Christus in suis pugnat &amp; vincit.</i>	31.
70.	<i>Christianorum fortitudo in persecutionibus enituit.</i>	32.
77.	<i>Christiani olim per contumeliam Asinarij dicti.</i>	113.
79.	<i>Clodouæus Francorum rex Gotos Arrianos debellat.</i>	
39.	<i>Concupiscētia nostra persecutionem perpetuam nobis monet.</i>	118.
31.	<i>Concupiscētiæ persecutio quàm sit periculosa.</i>	Ibid.
103.	<i>Consolatio fidelium in persecutionibus.</i>	1.
69.	<i>Constans imperator ad conturbandā Italiam mittit Olympium.</i>	86.
18.	<i>Constans Martinum Pontificem in exilium mittit.</i>	87.
bib.	<i>Constantis mors.</i>	Ibid.
bid.	<i>Constantino imperante Monotelitarum error extinguitur.</i>	Ibid.
bid.	<i>Constantini Leonis imperatoris filij cōtra sacras imagines odiū.</i>	89.
58.	<i>Constantini huius contra sacrarum imaginum sanctorumque cul-</i>	
74.	<i>tores seuitia.</i>	Ibid.
75.	<i>Constantinus quomodo dehonestarit monachorum ordinem.</i>	Ibid.
76.	<i>Constantini quàm horribilis finis.</i>	90.
bid.	<i>Cosdroas Persarum rex nonaginta Christianorum milia cēdit.</i>	21.
13.	<i>Cosdroas vexillum Dominicæ crucis auexit ad Persas.</i>	Ibid.
16.	<i>Cosdroas quare Nestorianos admisit.</i>	22.
bid.	<i>Cosdroæ finis.</i>	Ibid.
70.	<b>D</b> <i>Amasceno manus per Leonem amputata miraculosè resti-</i>	
25.	<i>tuitur.</i>	88.
63.	<i>Decij quàm seua persecutio.</i>	13.
74.	<i>Decius Philippum imperatorem Christianum interficit.</i>	ibid.
15.	<i>Decius infelicitè perit.</i>	ibid.
53.	<i>Deus suorum in persecutionibus protector.</i>	17.
73.	<i>Deum hæc visibilia prædicant.</i>	28.
22.	<i>Deorum gentilium varietas.</i>	25.
23.	<i>Diabolus cur se regibus &amp; principibus armet.</i>	23.
5.	<i>Diabolus quo astu hæreses excogitarit.</i>	35.
9.	<i>Diabolus primò Deum cæli &amp; terræ creatorem oppugnat.</i>	49.
28.	<i>Diabolus secunda oppugnatione vnum Dei hominumque media: o-</i>	
7.	<i>rem aggreditur.</i>	50.
12.	<i>Diabolus varios de Christo errores excogitauit.</i>	ibid.
0.	<i>Diabolus tertio de ipsa ecclesia lites monet.</i>	ibid.
ila	<i>Diabolus quantum ecclesiam per hæreses labefactauerit.</i>	ibid.

INDEX RERVM.

Diabolus quomodo solui intelligatur.	57.
Diabolus non eadem semper arte homines aggressus.	102.
Diabolus nunc insidiatur vt draco, nunc scuit vt leo.	103.
Diabolus in Christi sacerdotibus cur potissimum scuiat.	106.
Diaboli opus seruos Dei mendacijs lacerare.	112.
Diocletiani persecutio præ cæteris diffusior locis, immanior cruciatibus, annis diuturnior.	14.
Diocletianus hausto veneno semet necauit.	15.
Disimilitudo morum, causa persecutionum.	2.
Discordia ex principum cupiditate proueniens, quantum labefactit ecclesiam.	117.
Discrimen inter spiritum diuinum & sathanicam.	110.
Diuina in persecutores vindicta.	13.
Dominicalicis applicatione diabolus pellitur.	45.
Domitiani impietas.	12.
Domitianus vt Deus coli voluit.	ibid.
Donatistæ cur schisma in hæresim conuerterint.	62.
Donatistarum persecutio.	79.
Donatistæ in principio persecutionem dissimulant.	ibid.
Donatistarum crudelitas.	80.
Donatistarum furores describit Optatus.	81.
Donatistæ spe recuperandæ libertatis aduentum Iulianum apostatam.	ibid.
Donatistæ eucharistiam canibus proijciunt, & eius sacrilegij vindicta.	ibid.
Dracorusus, in Apocal. gentiliū persecutionem adumbrat.	26.
Draco pugnaturus super arenam stetit.	ibid.
Draco præfectus quomodo apud Ephesum monachos ad nuptias cogere conatus sit.	89.
Drabonutia filium religionis causa interfici curat.	23.
<b>E</b> cclesiam varijs modis infestat diabolus.	4.
Ecclesiam vno animo persequuntur hæretici.	4. & 25.
Ecclesia persecutionibus crescit.	31.
Ecclesia persecutionibus propagata & clarior facta.	34.
Ecclesia hæreticos semper hostes habuit.	35.
Ecclesiæ grauisimum periculum, dum lupus est, qui creditur custos.	37. & 106.
Ecclesia hæreticorum persecutionibus semper afflicta.	49.
Ecclesia persecutionibus non succumbet.	55.
Ecclesia errorum varietate obnubilari potest, sed non extinguitur.	57.

INDEX RERVM.

	<i>Ecclesia quem in persecutoribus timere maximè debeat.</i>	102.
37.	<i>Ecclesie maximum damnum priuari sacerdotibus.</i>	107.
102.	<i>Ecclesia sub Irene &amp; eius filio Constantino respirat ab Icono-</i>	
103.	<i>clastarum persecutione.</i>	90.
106.	<i>Ecclesias Græcas quid sub Turcæ iugum redegerit.</i>	53.
112.	<i>Ericus rex defecit in Danos.</i>	23.
14.	<i>Ermigildi Arriani conuersio, &amp; deinde constantia.</i>	72.
15.	<i>Euangelium oportebat Christianorum patientia propagari.</i>	109.
2.	<i>Euarix Gotorum rex Gallicanas ecclesias infestat.</i>	72.
refabst	<i>Eutiches magis imperitia quàm versutia errat.</i>	62.
117.	<i>Eutichianorum persecutio.</i>	82.
110.	<i>Eutichiani Palestinam infestant.</i>	83.
13.	<i>Eutichiani Alexandrinam ecclesiam perturbant.</i>	ibid.
45.	<i>Eutropius in ecclesiam contumeliosus, ab ecclesia tamen de morte</i>	
12.	<i>liberatur.</i>	34.
ibid.	<i>Ægyptiorum plagæ non rectè ad numerum referuntur perse-</i>	
62.	<i>quutionum.</i>	24.
79.	<i>Ætatis nostræ propter heresum multitudinem infelicitas.</i>	51.
ibid.	<b>F</b> <i>idei catholice ob persecutionum frequentiam querimonia.</i>	54.
80.	<i>Fides catholica est qua iuste &amp; beatè viuitur.</i>	55.
81.	<i>Fides fundamentum spiritualis edificij.</i>	ibid.
apostol.	<i>Fides quæ sine operibus est, cito amittitur.</i>	59.
ibid.	<i>Fidei oppugnatio, omnium piorum persecutio est.</i>	116.
ij vin.	<i>Flauiani Constantinopolitani episcopi probitas.</i>	83.
ibid.	<i>Furor popularis in Christianos.</i>	28.
et. 26.	<b>G</b> <i>alerius captam à Diocletiano persequunt. persecutus.</i>	14.
ibid.	<i>Galerius grauitè à Deo punitus.</i>	15.
ias co.	<i>Gallicani &amp; inferioris Belgij furores.</i>	101.
89.	<i>Gentes quomodo circumdederunt Christum vt apes, &amp; exarserunt</i>	
23.	<i>vt ignis.</i>	4.
4.	<i>Gentiles quare Christianos persequuti.</i>	26.
25.	<i>Gentiles quid in excusationem suæ persecutionis prætenderint.</i>	28.
31.	<i>Gentilitas humano arbitratu pensabat diuinitatem.</i>	29.
34.	<i>Gentiles dicebant Euangelistas afferuisse tantum, &amp; nihil pro-</i>	
35.	<i>bauisse.</i>	ibid.
editur	<i>Gentiles omnia incommoda imputabant Christianis.</i>	30.
106.	<i>Gentiles quare inexcusabiles.</i>	ibid.
49.	<i>Gentiles etiam lingua persequuti sunt Christianos.</i>	113.
55.	<i>Genferici Vandalorum crudelitas nec arbutis parcebat.</i>	74.
ii. 57.	<i>Georgij Arriani crudelitas.</i>	69.

INDEX RERVM.

<i>Germanus per sanctorum reliquias miracula facit.</i>	44.
<i>Cog &amp; Magog.</i>	45.
<i>Gottorum persecutio.</i>	22.
<i>Gottorum persecutio crudelissima.</i>	ibid.
<i>Gotti ad fidem catholicam conuertuntur.</i>	72.
<i>Gregorius quorum meritis ascribat, quod inter persecutionem Longobardorum subsisterent.</i>	79.
<i>Græcia in octaua Synodo Constantinopolitana Apostolicam sedem veneratur.</i>	92.
<i>Græcia ad schisma propensa.</i>	93.
<i>Græci ut soleant abominari Latinos.</i>	ibid.
<b>H</b> <i>Enrici hæretici personam describit Bernardus.</i>	96.
<i>Henricianorum errores refellit Bernardus.</i>	97.
<i>Henricus Anglorum rex ecclesie vult caput haberi.</i>	100.
<i>Heraclius imperator crucifixi præsidio Cosdroam vicit.</i>	21.
<i>Heraclius postea Monotelitarum fautor &amp; adiutor.</i>	86.
<i>Hæreticæ persecutionis occasio &amp; origo.</i>	57.
<i>Hæreticorū persecutio maximè perimescenda &amp; fugienda.</i>	37. 46.
<i>Hæreticorum persecutio vnde cæteris grauior.</i>	36.
<i>Hæreticorum persecutionem tanquam solam in Cant. sponsa deplorat.</i>	38.
<i>Hæretici adhuc fratres nostri.</i>	36.
<i>Hæreticorum in suis propagandis erroribus fraudes.</i>	38.
<i>Hæretici de verbo abscondito gloriantur.</i>	ibid.
<i>Hæretici intelligentiæ facilitatem pollicentur.</i>	ibid.
<i>Hæretici qua fraude veterum sententias allegent.</i>	39.
<i>Hæretici ecclesie nomen ad se transferunt, &amp; reformatores sese vocant.</i>	40.
<i>Hæretici vera dicunt nonnulla.</i>	41.
<i>Hæreticorum ficta sanctimonia, &amp; animarum decipula.</i>	41. 42.
<i>Hæretici conentur miraculis euangelium suum illustrare.</i>	42.
<i>Hæreticorum atque gentilium miracula qualiter fiant.</i>	ibid.
<i>Hæretici demonum opè stupenda faciunt.</i>	ibid.
<i>Hæretici in præsumptione miraculorum sepe confusi.</i>	44.
<i>Hæreticorum miraculis moueri non debemus.</i>	45.
<i>Hæreticos mendacijs vti solitos semper compertum est.</i>	46.
<i>Hæretici scripturas vel negant, vel deprauant.</i>	ibid.
<i>Hæretici sub nomine catholicorum noxios libros euulgant.</i>	ibid.
<i>Hæreticorum persecutio B. Hieron. grauisima.</i>	47.
<i>Hæretici irrequieti &amp; contentiosi.</i>	ibid.

Hæret.

INDEX RERVM.

44.	Heretici cur trecentis Sampsonis vulpibus assimulentur.	36.
43.	Heretici quàm rectè per dici comparentur.	47.
22.	Heretici quasi imperiti edificatores.	52.
ibid.	Hereticos cur lupos vocet scriptura.	67.
72.	Hereticos varijs nominibus depingit Apocalypsis.	103.
tionem	Heretici non modò in animas, verum etiã in corpora seuiunt.	66.
79.	Heretici ob crudelitatem qua in corpora seuiunt, spinis comparantur.	ibid.
sedem	Heretici non amant disputare, sed quoquo modo superare.	48.
92.	Heretici quomodo magistri plures.	51.
93.	Hæretici qualem fidem prædicent.	52.
ibid.	Hæreticorum lues tanto magis crescit, quanto magis finis propinquat.	51. & 53.
96.	Hæretici quò sua varietate viam præparent.	53.
97.	Hæretici in scripturis tauri dicuntur.	56.
100.	Hæretici in quibus populis præualeant.	ibid.
21.	Hæretici cur tam multos sequaces habeant.	64.
86.	Hæreticorum omnium mater superbia.	58.
57.	Hæreticus raro castus.	64.
7.46.	Hæreses in quo prosint ecclesie.	56.
36.	Hæreticum quomodo definiat B. August.	59.
38.	Hæretici ecclesiasticam disciplinam enervant.	65.
38.	Hæretici cur sua dicta sepius mutant.	ibid.
ibid.	Hæreses & schismata quomodo & à quibus fiant.	ibid.
ibid.	Hæreses cur Deus permittat fieri.	66.
39.	Hæretici & gentiles eodem spiritu aguntur.	80.
sefe	Hæretici Iudeis gentibusque deteriores.	103.
40.	Hæreticorum difficilis & rara conuersio.	104.
41.	Hæretici grauius Iudeis punientur.	105.
42.	Hæretici priuata autoritate queuis agunt.	109.
42.	Hæretici zelum Helic prætendunt.	110.
ibid.	Hæretici sua persecutione veros Dei sacerdotes manifestant.	ibid.
ibid.	in Hæreticis quid mortis contemptum operetur.	98.
44.	Hermogenes hereticus depingitur.	61.
45.	Hilarij de sui temporis persecutione querimonia.	48.
46.	Hippone nsis ciuitas à Vandalis obsidetur.	75.
ibid.	Hodie tot fides, quot voluntates.	52.
id.	Hunericus Vandalorum dux cum catholicis dissimulans, in Manicheos animaduertit.	76.
7.	Hunericus postea in catholicos Nerone crudelior.	ibid.
id		
76		

Q 5

Hunne-

INDEX RERVM.

<i>Hunmerici crudelitatis singulare exemplum.</i>	76.
<i>Hunmerici in B. Eugenium crudelitas.</i>	77.
<i>Hunmericus proprijs se morsibus dilaniat.</i>	78.
<i>Hunorum gentiliū persecutio.</i>	13.
<i>Hunorum crudelitas nemini parcebat.</i>	ibid.
<i>Hunorum gens ex parte conuersa.</i>	ibid.
<i>Hunni Pannoniā obtinētes, à Carolo Magno tandē expugnati.</i>	ibid.
<i>Husitarū persecutio.</i>	99.
<i>Husitarum errores.</i>	ibid.
<i>Husite ciuitatem extruunt, quam Thabor vocant.</i>	ibid.
<b>I</b> conoclastarum persecutio.	87.
<b>I</b> conoclastæ in Constantinopolitanos sibi resistentes seuiunt.	88.
<i>Idololatria per Christum ablata.</i>	35.
<i>Ignis de cælo cadens, significat hæreses de ecclesia cadere.</i>	46.
<i>Ignatij fortitudo.</i>	33.
<i>Infidelium contra Christianos insultatio.</i>	121.
<i>Imaginū sacrarū confractio, grauissima Christianorū persecutio.</i>	
<i>Impietas in varios errores distracta, rno tamen animo persequitur veritatem.</i>	25.
<i>Inuidia non patitur pietatem esse quietam.</i>	58.
<i>Inuidia quantum acuat linguam, &amp; ad commouendam persecutionem valeat.</i>	114.
<i>In Christo quis piè viuat.</i>	117.
<i>Ioannem Hus qui &amp; quales sint secuti.</i>	99.
<i>Ioannes Roffensis securi percussus.</i>	100.
<i>Ismaelis cum Isaac collusio.</i>	3.
<i>Iudeorum persecutio.</i>	5.
<i>Iudeorum persecutio etiam in gentium fideles.</i>	ibid.
<i>Iudaicæ persecutionis occasio.</i>	6.
<i>Iudeorum cæcitas, odium, &amp; crudelitas.</i>	ibid.
<i>Iudæi quo titulo Adriani tēporibus persequantur Christianos.</i>	ibid.
<i>Iudeorum sub Iuliano persecutio.</i>	7.
<i>Iudæi multas Christianorum basilicas combusserunt.</i>	ibid.
<i>Iudeorum ad persequendum Christianos feruor &amp; odium nunquam desinit.</i>	ibid.
<i>Iudæi Christianos tanquam hereticos infamarunt.</i>	ibid.
<i>Iudeorum persecutio Iustiniani &amp; Phocæ temporibus.</i>	ibid.
<i>Iudaicæ crudelitatis abominandum exemplum.</i>	8.
<i>Iudæi quotannis infantem Christianorum solent crucifigere.</i>	ibid.
<i>Iudæi in imaginem crucifixi desaniunt.</i>	ibid.
	Iudæi

INDEX RERVM.

	<i>Iudæi in pueris Helixæum irridentibus adumbrantur.</i>	9.
	<i>Iudæi de sua in Christum, eiusque familiam persequutione inexcusabiles.</i>	ibid.
	<i>Iudæi propter legis abolitionem persequutionem mouent.</i>	10.
	<i>Iudæi signa pro rebus amplectebantur.</i>	ibid.
	<i>Iudæi Gentium inuident uocationi.</i>	ibid.
	<i>Iudicij dies plenè martyrum pœnas illustrabit &amp; virtutes.</i>	28. 121.
	<i>Iuliani apostatæ persequutio.</i>	15.
	<i>Iulianus ut solet Christo insultare.</i>	16.
	<i>Iuliani quanta tyrannis.</i>	ibid.
	<i>B. Hieron. de Iuliano testimonium.</i>	ibid.
	<i>Iulianus liberales literas docere ac discere vetuit.</i>	15. 24.
	<i>Iulianus de ciuitatibus submouit ecclesiarum presules.</i>	107.
	<i>Iuliani interitus.</i>	16.
	<i>Iustinianus Vandalorum in Africa regnum euertit.</i>	78.
	<i>Iustinianus Agapiti monitis acquiescens catho. fidè amplectitur.</i>	84.
	<i>Iusti semper iniurias passi.</i>	1. & 4.
	<i>Iusti per tribulationes capiti suo Christo conformantur.</i>	1.
	<i>Iustis non imputandum quòd pacem cum malis non habeant.</i>	2.
	<i>Iusti si quando malos persequuntur, charitas est, non odium.</i>	3.
	<b>L</b> <i>Aurentij martyris fortitudo.</i>	33.
	<b>L</b> <i>Leo Iconoclastarum princeps scholas Christianorum euertit, &amp; bibliothecam exurit.</i>	88.
	<i>Leo imperator præter sacras imagines, intercessionem sanctorum reijcit, &amp; reliquias martyrum calcat.</i>	ibid.
	<i>Leonis in Damascenum imaginum defensore crudelitas.</i>	ibid.
	<i>Leonis Armenij in sacrarum imaginum cultores seuitia.</i>	30.
	<i>Lex non sufficiebat ad salutem, sed insuper gratia Christi requirebatur.</i>	10.
	<i>Lex quasi baculus prophetæ per famulum præmissus.</i>	ibid.
	<i>Liberius per Constantium in exilium missus, postea ab eodem reuocatur.</i>	69.
	<i>Licinij in persequendis Christianis inandita feritas.</i>	15.
	<i>Lingua persequutionem quando potissimum diabolus moueat.</i>	112.
	<i>Lingua persequutio subinde grauitè ferit.</i>	114.
	<i>Lingua assentantium multos in perniciem rapit.</i>	115.
	<i>Lingua persequutio multos perdidit.</i>	ibid.
	<i>Longobardorum paginorum in Christianos seuitia.</i>	18.
	<i>Longobardorum persequutionem quæ signa præcesserint.</i>	19.
	<i>Longobardi à Pipino &amp; Carolo Magno subiugati.</i>	ibid.
		Lenga-

INDEX RERVM.

<i>Longobardorum Arrianorum persecutio.</i>	73.
<i>Longobardorum Arrianorum persecutionem sepius deplorat Gregorius.</i>	ibid.
<i>Lucta Iacob &amp; Esau in utero matris.</i>	3.
<i>Lupus &amp; agnus quomodo pascantur simul in ecclesia.</i>	25.
<b>M</b> acedonij impietas & scuitia.	70.
<i>Mahometistarum persecutio.</i>	53. & 93.
<i>Mahomet à Sergio quodam Nestoriano adiutus.</i>	93.
<i>Mahomet doctrina qualis.</i>	94.
<i>Mahomet omnem suis disputationem interdixit.</i>	ibid.
<i>Mahomet non male à quibusdam Antichristus creditur.</i>	ibid.
<i>Mahometica secta se templum Dei iactitat.</i>	ibid.
<i>Mahometicę sectę initia &amp; incrementa.</i>	ibid.
<i>Mahomet apud Danielem significatur per cornu habens oculos &amp; os loquens grandia.</i>	ibid.
<i>Mahometistarum Constantinopoli crudelitas.</i>	95.
<i>Mahometistarum in imaginem Christi crucifixi insultatio.</i>	ibid.
<i>Manuel Comnenus nouam persecutionem in Grecia excitat.</i>	92.
<i>Manuel Comnenus Deum Mahometi defendit.</i>	ibid.
<i>Manicheo superbia hereseos causa.</i>	61.
<i>Marcion propter stuprum virginis de ecclesia reijcitur.</i>	ibid.
<i>Maxentij crudelitas.</i>	14.
<i>Maxentius aliquandiu persecutionem dissimulat.</i>	15.
<i>Maxentij finis.</i>	ibid.
<i>Maximiniani persecutio præ cæteris diffusior locis, immanior cruciatibus, annis diuturnior.</i>	14.
<i>Maximini persecutio.</i>	13.
<i>Menandri portenta.</i>	42.
<i>Michaelis Balbi Amorrhæi furores &amp; errores.</i>	91.
<i>Miraculum quale per clauem S. Petri factum.</i>	79.
<i>Monotelitarum error &amp; persecutio.</i>	85.
<i>Montani primatus cupiditas.</i>	60.
<i>Mulier de sanguine sanctorum ebria, in Apocalyp. typus omnium persecutorum.</i>	5.
<i>Multa naturæ virtute sunt, quæ diuina aut dæmonum arte fieri putantur.</i>	43.
<b>N</b> estorij nefanda præsumptio.	62.
<i>Nero primus ex Romanis Christianorum persecutor.</i>	11.
<i>Neronis descriptio.</i>	ibid.
<i>Neronis quanta crudelitas.</i>	ibid.
	Nero

INDEX RERVM.

78.	Nero matrem & Senecam præceptorem interfecit.	11.
orat Gre.	Neronis quis fuerit exitus.	12.
ibid.	Nerua mitius cum Christianis egit.	ibid.
3.	Nerua imperante de exilio redit Ioan. Euangelista.	ibid.
25.	Nicephorus imperator Iconoclastas resuscitat.	90.
70.	Nicephori grauissimum imperium, sed miserrimus exitus.	ibid.
t. & 93.	Normannorum paganorum persecutio.	19.
93.	Normanni varia passim loca deuastant & obtinent.	ibid.
94.	Normanni ter ciuitatem Parisiensem oppugnant.	20.
ibid.	Novatianorum seuitia.	67.
ibid.	Novatianus negato sibi episcopatu recedit de ecclesia.	60.
ibid.	Novatianus quo iuramento suos astrinxerit.	ibid.
ibid.	Novatum optimè depingit B. Cyprianus.	ibid.
culos &	<b>O</b> culus quando & quomodo eruendus.	37.
ibid.	Olympius tum cleri populiq̃ concordia, tum Dei prouidentia a multis malis impeditur.	86.
95.	Origenes ecclesie magna tentatio.	61.
ibid.	Origenistarum decipulæ.	40.
it. 92.	Orebitarum persecutio & crudelitas.	99.
ibid.	<b>P</b> astores multi apud prophetam qui dicantur.	50.
61.	Pauli Constantinopolitani error & furor.	86.
ibid.	Paulinus inst̃ in c̃tu Spiritus sancti in seruitutē se tradit.	76.
14.	Paulo Samosateno nihil superbius.	60.
15.	Paulus Samosatenus mulierum licentiam presbyteris dedit.	61.
ibid.	Paulus Samosatenus psalmos in Christum compositos reijcit.	ibid.
manior	Pax inter pios & impios nunquam vera.	2.
14.	Pax inter bonos & malos cur nunquam diuturna.	ibid.
13.	Pelagium superbix spiritus agitauit.	61.
42.	Pelagianorum in faciendis miraculis timiditas.	44.
91.	Pietatem & doctrinam veritatis deridere, magna persecutio.	113.
79.	Piorum quorundam querimonia propter sacerdotum proffigationem.	107.
85.	Philumenis cuiusdam Gnosticæ virginis miracula.	42.
60.	Persarum persecutio.	20.
numm	Persarum persecutionem cum Magis Iudæi excitant.	ibid.
5.	Persarum crudelitas.	21.
e fieri	Persarum persecutio diuturna.	ibid.
43.	Persarum rex cum 60. virorum milibus conuersus.	22.
62.	Persequentium scelus maximum.	34.
11.	Persequutor in semetipsum magis sc̃uit, quàm in martyrem.	121.
ibid.	Perse-	
ibid.		
Nero		

INDEX RERVM.

<i>Persecutiones fidelium tam graues significant magna præcessisse peccata.</i>	111.
<i>Persecutionum quando futurus sit finis.</i>	120.
<i>Petrus venerabilis abbas Cluniacensis Petrobrusianorum errores refert &amp; refellit.</i>	98.
<i>Petrobrusiani dicunt crucem Domini non dignam reuerentia, sed gladijs concidendam.</i>	ibid.
<i>Phrysijs orientalem Franciam vastarunt.</i>	23.
<i>Phrysia Villibrordi opera conuersa.</i>	ibid.
<i>Philippus rex Albigenfes debellat.</i>	98.
<i>Polychronij hæretici in ædendis miraculis audax præsumptio deluditur.</i>	44.
<i>Praxæas homo inquietus.</i>	61.
<i>Priscillianus quis &amp; qualis.</i>	63.
<i>Pseudoprophetarum in Israel turba.</i>	64.
<b>Q</b> <i>uadratus Atheniensis pontifex, Adriani persecutionem sustinuit.</i>	13.
<b>R</b> <i>aafis Longobardorum rex ubi &amp; quomodo conuersus.</i>	19.
<i>Radix libidinis quãtas sepe tribulationis spinas producat.</i>	117.
<i>Reginaldi &amp; quorundam aliorum martyria.</i>	101.
<i>Religio Christiana cur noua dici non debeat.</i>	28.
<i>Romani martyris in tormentis fortitudo ac fiducia.</i>	32.
<i>Romanorum persecutio frequens &amp; crudelis.</i>	11.
<i>Romanas persecutiones quidam decem faciunt.</i>	23.
<i>Roma quantam per obsidionem Totilæ passa penuriam.</i>	74.
<b>S</b> <i>acerdotes in bello duces, in periculo custodes.</i>	106.
<i>Sanctorum societas nunquam hostibus caruit.</i>	4.
<i>Sara persequens Agar, quorum sit typus.</i>	3.
<i>Seueri persecutio.</i>	13.
<i>Seuericiusdam Antiocheni episcopi impietatem latè describit euerus Antiochenus.</i>	85.
<i>idem ecclesias spoliatur.</i>	ibid.
<i>Simeonis archiepiscopi ad martyrium cohortatio.</i>	21.
<i>Simon Magus quantum artibus magicis valuerit.</i>	42.
<i>Siluerius papa ab Augusta in exilium mittitur.</i>	84.
<i>Spiritus impurus &amp; superbus hæreses potissimum excitat.</i>	64.
<b>T</b> <i>acianus hæreticus arrogantia tumidus &amp; eloquentia inflatus.</i>	60.
<i>Tertullianus cur ad Montani dogma delapsus.</i>	61.
<i>Theodosius Symmachum illicita persuadentem vitæiecerit.</i>	34.

Theo-

INDEX RERVM.


	<i>Theodoricus Arrianus cur Ioannem pontificem affixerit.</i>	73.
	<i>Theophilus sacrarum imaginū odio, nec earum pictores ferebat.</i>	91.
	<i>Theophili in S. Methodium crudelitas.</i>	ibid.
	<i>Theodora imperatrix clam sacras imagines venerata, vt virum eluserit.</i>	91.
	<i>Theodora defuncto Theophilo viro suo, Iconoclastarum persecutionem compefcuit.</i>	ibid.
	<i>Tyberius Christianorum accusatoribus periculum comminatus.</i>	29.
	<i>Templa domus orationum sunt.</i>	108.
	<i>Templorum violatores quos afficiant iniuria.</i>	ibid.
	<i>Thomæ Mori constantia.</i>	100.
	<i>Totila Gottorum regis crudelitas.</i>	74.
	<i>Totila in vrbe Perusina seuitia.</i>	ibid.
	<i>Totila B. Benedicti monitis cum Romanis mitius egit.</i>	ibid.
	<i>Traiano persecutionem mouente patitur B. Ignatius.</i>	12.
	<i>Traianus instinctu Plinij secundi mitigat persecutionem.</i>	ibid.
	<i>Triples ecclesie persecutio.</i>	45.
	<b>V</b> alens persecutionem depingit Nazianzenus.	70.
	<i>Valens gentilibus, Iudæis &amp; hereticis libertatē permisit.</i>	71.
	<i>Valentis interitus.</i>	ibid.
	<i>Valentiniani iunioris in Deum &amp; ecclesiam pietas.</i>	34.
	<i>Valentiniani cuiusdam heretici præstigia.</i>	42.
	<i>Valeriani quàm seua persecutio.</i>	13.
	<i>Valerianus ignominiosa seruitute apud Persas premitur.</i>	ibid.
	<i>Vandalica persecutio.</i>	74.
	<i>Vandalorum in Carthaginenses seuitia.</i>	75.
	<i>Vandali ad se transfugientes rebaptizabant.</i>	78.
	<i>Veritas quare semper inuisa.</i>	3.
	<i>Vigili<sup>9</sup> nolēs stare promissis Augustæ factis, cōtumelia afficitur.</i>	84.
	<i>Vincentij martyris constantia.</i>	33.
	<i>Vnde fiat vt in tot errores distrahatur impietas.</i>	26.
	<i>Vita malorum pijs perpetua persecutio.</i>	116.
	<i>Vita impura fidem destruit.</i>	59.
	<i>Vitia semper virtutibus inimica.</i>	3.
	<i>Vvisigottorum gēs opera Richardi Liugildi regis filij cōuersa.</i>	72.
	<b>Z</b> ischa Thaboritarum dux quid de se mortuo fieri voluerit.	100.


FINIS.


Opus doctum, & prælo dignum.


Ioh. Molanus, Censor.

*LOVANI,*  
Excudebat Seruatius Sassenus.  
ANNO M. D. LXXVIII.









DE  
PERSECVTI-  
PIORVM  
ET  
OFFICIO XPIO

*en seris*

Th  
2865